LUCRETIANAE QUAESTIONES
GRAMMATICAE ET CRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

CONSENSU ET AUCTORITATE

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE IMPETRANDORUM CAUSA

DIE XVIII. MENSIS MARTII A. MDCCCLXI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLFUS BOUTERWEK

BERNENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. PIETZSCH, PHIL. DOCT.
I. LEHNERDT, STUD. PHIL. ET SEM. REG. SOD. ORD.
A. SEYFFERT, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM

FORMIS PLOETZIANIS.

PATRI · OPTIMO

Cap. I.

Litterarum Romanarum in primis initiis atque etiam iis quae subsecuta sunt temporibus usque ad Lucretii aetatem quicunque extiterunt poetae, fere non ipsorum ciuium e numero sese extulerunt. Illo enim temporis spatio ii tantum sese dedebant ad artem poeticam tractandam, qui Romanae ciuitatis expertes nullum locum tenebant in re publica. Itaque eorum patriam si quaerimus, qui litterarum Latinarum fundamenta posuerunt, e municipiis hi exierunt fere exiguis; quin etiam, si quis seruus erat, ab externis nationibus originem ducebat. Nam Liuius Andronicus fuit Tarentinus, Naeuius Campanus, Ennius Rudinus, Plautus Sarsinatis, Caecilius Insuber, Terentius Carthaginiensis, Pacuuius Brundisinus, Pomponius Bononiensis, Lucilius Suessanus, Catullus Veronensis. Num igitur aut uberiore eruditione instructi erant aut naturae praesidiis ad hanc artem tractandam firmioribus utebantur reliquae gentes Italicae quam Latini? Fuit sine dubio in Romanis eximia quaedam et praeclara indoles ad summa quaeque expetenda: sed praeter ceteras gentes nati fuerunt ad populos imperio regendos. Itaque cum ad rempublicam administrandam optimus quisque se conferret idque ex sensu hominum communi dignum unice ducerent uiro Romano: factum est ut studiis omissis leuioribus ea tantum aliquo in honore haberent, quae spectarent ad locum aliquem ciuitatis obtinendum. Quamobrem praecipue eloquentia colebatur. Ceterae autem artes quibus ornatur uita et politur, pictura sculptura poesis aliis relinquebantur. Etsi igitur non parebat neque effundebat illustria in poesi ingenia, formabat tamen fingebatque urbs terrarum orbem imperio pressura. Neque hisce studiis gratia defuit ciuitatis: quod uel testantur Terentii scripta ad Scipionem Africanum relata (cf. Quint. X. 1, 99. Donat. Vita Terent.). At haec illiberalis quasi litterarum conditio non semper remansit. Nam ubi primum ciuilium armorum tempestate grassantisque luxuriae tabe conuelli coepta est res publica, paucorumque arbitrio et ambitione administrari ciuitas, extiterunt

qui nullam unquam partem reipublicae attingerent sibique mallent uiuere quam aliorum inseruire ambitioni. Tum primum deorum opinione omissa patrioque more, certissima ad id tempus agendi regula, labefactato singulorum arbitrium societati ciuili repugnabat: atque ut in rebus publicis, ita etiam in priuata uita iam quisque non ita ciuitatis usibus quam suae uoluntati consulebat. Hinc igitur quasi patefacta uia facile fieri poterat ut Graecarum artium et litterarum ubertas atque diuitiae largiter defluerent in Romanae iuuentutis disciplinam. Conquassatis enim illis quasi fnndamentis in quibus constituta fuerat societas ciuilis, homines praestantiore et altiore ingenio praediti hunc sustinebant dolorem, quod de summis et rei publicae et uitae humanae quaestionibus in incerto relicti essent. Itaque ad philosophiam sese applicuerunt, quicunque de republica desperantes priuatam uitam tranquille degere uellent. Quanto hi rectius quam alii qui cum uigore illo quo pollebat etiam in uitiis ille populus, in corporis uoluptates sese toti ingurgitabant. Atque huius temporis memoriam repraesentat Lucretius. Qui Romae [1]) nobili loco natus ad rem publicam nequaquam accessisse videtur, quantum ex ipso carmine atque ex magistratuum tabulis eius nomen non referentibus licet conicere. Sed hic uir non solum rerum publicarum taedio uel popularis religionis contemptu impulsus in Epicuri praeceptis spem unice reposuit: sed quod perspicuum est ex ipsis eius uersibus, cum ardenti ingenio atque cupiditate incenso uir summus animi tranquillitatem amisisset, ut uim illam cupiditatis ardentem restingueret suamque ab ea libertatem uindicaret, Epicuri philosophiam ultimum refugium habuit. Talibus enim ille rebus uehementius commotus fuisse quam patriae temporibus iniquis uidetur, etsi aliter sentiat Reisackerus. [2]) Quamquam enim inanem reprehendit ambitionem, de ciuilibus armis uel popularibus tumultibus non conqueritur: pluribus autem locis cupiditatum atque amoris impotentiam summum malum ducit. [3]) Nam quae exposuit sub quarti libri finem adeo plena sunt animi adeoque rerum quae ipse perpessus sit, memoriam excitare uidentur, ut ab aliis tantum percepisse nullo modo credi possit.

---

[1]) I, 41 nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo Possumus. — [2]) In progr. Coloniensi: Epicuri de animorum natura doctrina a Lucretio discipulo tradita. 1855. p. 35. — [3]) III, 1003—1010. IV, 1058—1191. V, 44—48. 1432, 1433.

Neque tamen fieri potuit quin in homine qui tali uteretur animi affectione, formam suam quodam modo immutaret Epicuri philosophia.[4]) Multum enim abest a tranquillitate illa et ἀταραξίᾳ, quam Graecus non solum docuerat sed etiam erat adeptus. Quin etiam quod ab aliis impetrare studebat, ut uitam degerent animi perturbationibus carentem, ne ipse quidem assecutus esse uidetur. Itaque cum Epicurus statuisset, uitam per se malum non esse, facillime autem beatam reddi posse, Lucretius ab illius sententia deflectens, quasi de uita bene constituenda desperaret, eandem miserrimam et infelicissimam esse contendit. Huc igitur reuocandae sunt tristes illae et flebiles uoces III, 1046. 'Tu uero dubitabis et indignabere obire? Mortua cui uita est prope iam uiuo atque uidenti;' et de infante uix nato: V, 226. 'uagituque locum lugubri complet, ut aecumst Cui tantum in uita restet transire malorum' cf. III, 1073. V, 176. III, 1085 sq. V, 1430—1433. Per totum autem opus dominatur is habitus et ea affectio animi, quae praesagire uideatur tristem illum poetae exitum, qualem licet suspicari ex notis illis Hieronymi uerbis (Euseb. Chron. n. 1922.): 'T. Lucretius poeta nascitur; qui postea amatorio poculo in furorem uersus cum aliquot libros per interualla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendauit, propria se manu interfecit anno aetatis quadragesimo quarto.' Summum enim uitae taedium perspicitur ex talibus uocibus: 'cur non ut plenus uitae conuiua recedis Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?' III, 938, ubi in sequentibus exponitur cur uitae mors sit praeferenda. cf. III, 870—930. 1045. Itaque causa nulla est, cur Hieronymum falsa referre putemus.

At acer ille quidem et feruidus animi affectus, ut uitam poetae conquassauit et perturbauit, ita carminis splendori nitorique multum addidit. Nam quae spirat in eius uersibus uis ingeni effervescens illa et incitata, ieiunam per se et exilem subleuat superatque materiam. Atque profecto opus erat elatiore ingenio plenoque spiritus ad materiam paullo remotiorem atque spinosiorem neque poeticae satis conuenientem comprehendendam: praesertim cum patrio sermone nondum satis exculto res complectendae essent alienae a communis sensus consuetudine. Quamobrem uitio dandum non est poetae, quod patrii sermonis

---

[4]) cf. Bernhardy, Litt. Rom. p. 479, not. 400.

egestatem, quae ei accommodanda erat ad Graecorum ubertatem et copiam, compluribus locis conqueritur. (I, 139. 832. III, 260.)

Itaque duplici de causa praecipuum locum ille tenet in Latinarum litterarum historia: primum, quod omnium primus homo uere Romanus Romaeque natus poeticam artem attigit; deinde quod genus Latinis litteris ad suam aetatem nondum illustratum, didacticum quod dicunt carmen popularibus attulit. Nam Varro Atacinus, ut recte memorat Quintil. X, 1, 87. interpres tantum operis alieni fuit. Quidquid autem de fontibus carminis futura eruet disceptatio, Alexandrinorum poema, quod legitur in Paulyi encyclopaedia reali s. v. Lucretius, hic ante oculos non habuit. At in rerum tractatione sermonisque conformatione ueri simile est eum secutum esse Empedoclem, [5]) quem summis effert laudibus (I, 716. 733.). Deinde Ennii ad sermonem haud uno in loco suam orationem accommodauit. [6]) Sed id ne nimium esset, cauerunt non solum poetae uerecundia, uerum etiam summa diuersitas argumenti. Iam quod Euripidem multis in locis Lucretium expressisse confirmat auctor huius sententiae Reisackerus (in progr. supr. cit., p. 34.), non satis idoneis argumentis probari uideo. Neque enim mirum uideri potest, in communibus quibusdam locis, quales sunt de uitae incommodis, de mala cupiditate consentire utrumque summum poetam, praecipue reputanti quanta ingeniorum necessitudo inter eos intercedat.

Difficillimum igitur huic poetae contigit officium, ut sibi ipse suum dicendi genus orationisque habitum faceret et conformaret: quamobrem non est quod admiremur, si quando intentus nouorum uerborum inuentioni audacius quam felicius periculum fecisse uidebitur. Attamen argumento quod e philosophia petierat, feliciter pertractato uernaculam linguam longe politiorem et elegantiorem posteris tradidisse habendus est. Fuit autem in eo quoque uere Romanus, quod rem sibi proposuit tractandam, qua certum quoddam solidae utilitatis consilium sequeretur. Itaque id unum spectauit, ut Memmio sibi amicissimo deorum atque mortis metum radicitus extraheret, ciuibus autem rectam certamque agendi uiam, ambitionisque et ceterorum uitiorum quibus perturbantur res publicae, inanitatem ostenderet.

---

[5]) Qua de re uid. Reisacker, Quae. Lucretianae. Bonn. 1847. — [6]) Exempla collegit Forbiger in praef. p. 32. Quibus addenda sunt alia ut I, 66. Graius homo, Enn. Ann. 184. — I, 831. quam Grai memorant, Enn. Ann. 3. — I, 14. Enn. Ann. 312. — V, 488. Enn. Ann. 584. — I, 341. 726. En. Tr. 42. — IIII, 1048. En. Trag. 288. — I, 121. III, 25. 86. En. Tr. 70.

Qua de re cum naturae cognitio ei maxime necessaria uideretur, physicam praecipue uersibus suis complexus est: quo commisit ut praesertim eam partem quae in obscuritate rerum et recondita in arte uersaretur, sibi elegisse uideretur. Nam expositis in primo libro quattuor illis principiis quibus nitebatur Epicuri omnis naturalis philosophia, in altero atomorum ui et natura, iam in tertio assurgit maioremque asciscit sonum uocis, ut de animi natura disserat. In hoc autem, ut in quinto sextoque quartique sub finem multa ex Empedoclis aliorumque, multa etiam ex sui ipsius ingeni fontibus deprompsisse uidetur.

Opus igitur eo difficilius poeta susceperat, quod ei erat propositum, ut carmina multum apud ciues ualerent tenerentque populares et ad hanc doctrinam asciscendam transferrent. Argumentum autem adeo alienum fuit a poetica tractatione, uix ut orationis nitorem admitteret sed repudiaret fere omnes dicendi ueneres. Qua de causa poeta prudens rem ita administrauit, ut largiter perspergeret orationem et sententiis grauibus atque ex communi humanae uitae conditione petitis, et descriptionibus imaginibusque eloquendi suauitate dulcique quodam genere et affluenti instructis. Itaque amoena legentibus comparauit deuerticula, prouiditque ne argumenti ui et grauitate defessi longius procedere nollent.[7] Itaque praestantem posuit operam in singulis libris elegantium sublimiumque prooemiorum luminibus illustrandis. Quo in genere quod quartus liber suo prooemio caret (nam quod Cicero emendator praeposuit sumtum est ex I, 926—950., cf. Lachmann. Comm. p. 61 sq.) causa fuit mors immatura poetae.

Respondet porro poetae ingenio cursus orationis uehementi quodam et concitato flumine profluens; respondet etiam acerba quaedam ironia in aliorum sententiis erroribusque repellendis: quam ne summus quidem Iuppiter effugit, cum quo in VI, 387—422. de fulgurandi ratione expostulat. Iam ex iis quae diximus apparet, inaequalitatem quandam inesse Lucretianae dictioni, sed quae singularum quaestionum singulis rationibus conueniat: atque ut in uniuersum lacertos magis quam suauitatem expressit, ita argumenti culpa quibusdam in partibus siccam quandam

---

[7]) cf. I, 62—79. 84—101. 716—733. 921—950. II, 144—149. 317—332. 352—366. 552—559. 600—639. 991—998. 1023—1047. 1150—1174. III, 41—93. 307—322. 830—1094. IIII, 403—419. 580—594. 962—983. 1011—1025. 1058—1190. V, 200—234. 397—404. 737—747. 783—820. 855—1240. 1280—1457. VI, 1138—1286.

ieiunitatem non euitauit. Ceterum opus erat ut sibi certa quaedam rerum uerba effingeret quae Epicureae philosophiae consentaneae essent: neque effugere poterat quominus hisce dicendi formulis saepius uteretur: quin etiam totos uersus ad illius philosophiae cogitationes elaboratos diuersis locis adhibuit.[8]) Neque, quod fecit Bernaysius, eo nomine uituperandus est: etenim ut apparet ex Parmenidis Empedoclisque fragmentis, id mos ferebat apud Graecos didactici carminis.

Iam ad ipsam sermonis conformationem ut ueniamus, ea quantum abest a priorum rigore et exilitate, tantum a posteriorum suaui dicendi genere recedit. Etenim communis ei est cum ueteribus illis uerborum et periodorum quasi structura inculta non numquam quaeque omni arte careat;[9]) uerborum collocatio non ad concinnitatem elaborata;[10]) particularum usus nondum ad certam normam redactus; iniucunda interdum uerborum copia ad rem simplicem comprehendendam, quae in priscae latinitatis monumentis fere perspicitur.[11]) Magnus autem artis profectus indicatur numeris ad certae regulae seueritatem, quamuis a posteriorum arte discrepet, conformatis. Praecipue porro haec carmina excellunt uerborum electione maxime propriorum quibusque sensa cum acumine quodam et uigore exprimantur. Accedunt nouorum uerborum formatione patriae linguae fines feliciter dilatati. Insignem igitur summus poeta locum tenet non modo in Latinis litteris sed etiam in ipsius linguae gradibus quasi et processu.

Quicunque uero de hoc poeta iudicium facturus est, is recordetur, quam immaturam mortem, ante quam supremam manum operi admouisset, ultro sibi consciuerit. Itaque quod singularum materiarum ad ordinem et dispositionem attinet, quae sane, ut nunc res est, in singulis satis perturbata extat, quid poetae quid

---

[8]) (Quid possit oriri), quid nequeat, finita potestas denique cuique Quanam sit ratione atque alte terminus haerens I, 75—77. 595, 6. V, 89. 90. VI, 65. 66. — Nam quodcunque suis mutatum finibus exit, Continuo hoc mors est illius quod fuit ante I, 670. 792. II, 753. III, 519. — Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest Non radii solis neque lucida tela diei Discutiant, sed naturae species ratioque I. 146. II, 59. III, 91. VI, 39. — I, 818, 819. 909, 910. II, 1008, 1009. — [9]) Cuius rei exemplum sit V, 55—75. Insuauia sunt etiam asyndeta satis frequentia. — [10]) Huc etiam pertinet tmeseos usus, de quo alio loco. — [11]) Ut V, 1002. temere in cassum frustra. Similiter retro saepissime superuacaneum est, etc.

emendatori tribuendum sit, certis finibus circumscribi posse non uidetur. Insignem autem quaeque etiam nunc eluceat, operam collocauit in transitu quoque inter singulas rerum disceptationes commode quadrando elegantibusque dicendi formulis distinguendo. Talium igitur formularum largam copiam exhibet.[12]) Accedit particularum quaedam series sese inuicem excipientium ad orationis continuationem partitionibus disponendam.[13]) A rhetorica uero et ornata et sententiarum et uerborum concinnitate ad Graecorum praecepta elaborata Lucretius, qui ne forum quidem attigisse videtur, sese prorsus abstinuit. Itaque non est quod miremur Quintiliani iudicium X, 1, 87: 'nam Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiae faciant.'

Iam uero ut ueniamus ad eam materiam quam praebet grammaticis quaestionibus Lucretius, illustrandam, multa deprehenduntur in eius sermone antiquitatis uestigia, ad quam referenda etiam uidetur in formis et mensuris quaedam fluctuatio.

Operae autem pretium est tractare eius poetae grammati-

---

[12]) Nunc age .... expediam: tu te dictis praebere memento II, 62. Nunc age iam deinceps ... percipe. II, 333. cf. IIII, 110. 269. I, 265. — accipe IIII, 721. Nunc age, quam ...., suauidicis potius quam multis uersibus edam IIII, 176. 909. Nunc age, quod super est, cognosce et clarius audi I, 921. cf. III, 417. Huc accedit uti I, 215. III, 459. II, 398. Illud in his rebus non est mirabile, quare II, 308. ∾ nequaqum sumere possis III, 370. Illud in his quoque te rebus cognoscere auemus II, 216. Illud in his obsignatum quoque rebus habere Convenit et memori mandatum mente tenere II, 581. Perfacile est tali ratione exoluere nobis Quare II, 381. Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus Confirmare tibi II, 184. Quod super est, uacuas auris animumque sagacem etc. I, 50. Sed nunc, ut repetam coeptum pertexere dictis I, 418. Protinus ostendam II, 259. Quae bene cognita si teneas II, 1090. Dico igitur IIII, 42. Nunc dico .. III, 136. Illud in his rebus ne te deducere vero etc. I, 370. ∾ uereor ne forte rearis I, 80. Quod quoniam docui, pergam conectere rem quae Ex hoc apta fidem ducat II, 478. Atque quoniam docui IIII. 26. et quon. doc. III, 31. sed quon. doc. I, 951. Quod si forte aliquis credit ..... huic satis illud erit planum facere atque probare II, 931. Quod si forte aliq. cred., ... auius a vera longe ratione recedit II, 225. Si .. putas, auius a. v. l. r. uagaris II, 82. Sed ne forte putes ...., etiam II, 842. IIII, 129. Nec tamen omnimodis ... putandum est II, 700. Nec tamen ... concedimus IIII, 379. — [13]) (Principio) praeterea I, 175. 226. nec porro 185. huc accedit uti 193. denique 200. 239. postremo 209. 250. — principio I, 272. tum porro 298. denique 306. quin etiam 312. postremo 323. praeterea 347. denique 359. postremo 384. praeterea 701. adde etiam 713. — principio I, 834. nec tamen 843. adde quod 847. — primum I, 743. deinde 747. huc accedit item, ut I, 754. denique 764. etc.

cam, qui summus semper habitus est quemque ii qui postea fuerunt saepius imitati sunt.[14])

Accedamus igitur ad opus primamque partem statuamus

Cap. II. De formis.

Quo in genere primum dicendum est de litteris et sonis. Omnino autem ab hac quaestione non potest secerni de orthographia disceptatio. Nam lingua latina cum litteris tantum, non uiuo ore, nobis tradita sit, diligenter huius generis habenda est ratio. Quamquam neminem fugit, quanto opere ea in re non solum libri manu scripti, uerum etiam lapidum inscriptiones fluctuent.

Atque ut de uocalibus primum agamus, eae per attractionem quandam in syllabis sese excipientibus non numquam ita commutantur, ut e duabus in alterius altera similitudinem abeat. Ita in III, 1031. oblongus exhibet ***lucunas:*** in quadrato prima manus ex ***u*** fecit ***a;*** in VI, 538. uterque ***lucunas.*** VI, 552. ***lucunas*** oblongus. Ita in Verg. Georg. III, 365. Mediceus exhibet prima manu ***lucunae.*** (Cf. Lachm. Comm. p. 205.) Huc pertinent ***genetrix*** I, 1, Verg. Ge. IIII, 363. (cf. Wagner Orth. Verg. p. 438.) ***rutundus*** II, 451. 458. 466. ***rubustus*** III, 449. in Leydd. ***supulta*** VI, 1271. in Victoriano; ***filix*** Wagn. Orth. V. p. 438. ***similare*** ib. p. 472. ***subsiciuus*** Varro R. R. I, 10. 2. ***socordia*** pro ***secordia***, ***tugurium*** pro ***tegurium***, ***iucundus*** pro ***iocundus*** quod ubique seruauit cod. Victor., ***uolop*** Naeu. 12. ***robor*** Rom. Georg. III, 235. cf. Corssen. de pronunc. I, 306.

Porro constat in scriptura nonnullorum uocabulorum ***u*** et ***i*** uariare: quae quam arta necessitate coniunctae sint in hac

---

[14]) Confer Lucr. III, 938. cur non ut plenus uitae conuiua recedis cum Horatii, qui eum diligenter lectitavit, Serm. I, 1. 118. exacto contentus tempore uita Cedat uti conuiua satur. Lucr. V, 82. nam bene qui didicere deos securum agere aeuum. — Hor. Serm. I, 5. 101: namque deos didici securum agere aeuum. Lucr. III, 1028. occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt. Hor. Serm. I, 6. 4. olim qui magnis legionibus imperitarunt. Lucr. III, 69. longe longeque remosse. Hor. Serm. I, 6. 18. longe longeque remotos. Minaci murmure Lu. I, 277. Hor. Od. II, 1. 17. cetera de genere horum Lu. II, 104. Cetera de genere hoc Hor. Serm. I, 1, 13. Praeterea in Serm. I, 3, 44—69. Horatius Lucr. IIII, 1160—1170, et Epl. I, 1, 83—90 Lucr. III, 1058—1067. expressisse quodam modo imitando videtur.

lingua, apparet ex uetustioribus eius monumentis: ***nominus Latini*** SC. de Bacanal. etc. Huc refer ***artibus*** et ***artubus*** ut membranae exhibent in I, 260. III, 7. 620. 644. IIII, 632. (Lachm. Comm. p. 333 sq.). Ita ***arbita*** codd. Leydd. exhibent V, 941 et 965: utroque loco corrector fecit ***arbuta***, cf. ***decumus*** Medic. in Verg. Ge. I, 284. ***obstipescere*** Aen. I, 513. ***quadrupes*** et ***quadripes*** Wagner. l. l. 466. Plautina exempla collegit Ritschel. Proll. Trin. p. XCV. Notandum semper ***libet***, ***quilibet*** esse in Lucretianis membranis, quod idem contigit in Vergilianis, cf. Wagner. l. l. p. 445. Contra ***lubet*** est apud Plautum Trin. 596.

Verborum compositorum uocales notum est in alias transire. Attamen non nulla uerba apud priores scriptores suam uocalem retinuerunt: ***interemere*** I, 216. II, 1002. ***ingemo*** III, 489. V, 209. ***aspargere*** I, 719. ***dispargere*** I, 309. in Victor. ***eiecit*** II, 951. ***traiecere*** III, 513. Ita est ***aspargo, attractare detractare*** apud Vergilium, cf. Wagn. l. l. p. 381. Corssen. l. l. I, p. 321., et apud Plautum ***intellego*** Bacch. 50. In uniuersum autem frequens est in lingua Latina uocalium *e* et *i* commutatio: ***cuppedo*** Lucr. V, 45. IIII, 1090. Varro L. L. V, p. 148. ***uiis derectis*** IIII, 609. cf. ***dierecte*** Bacch. 579. ***semul*** ib. 576. Fluctuat porro inter *e* et *u* gerundiorum scriptura: Lucretius in ***reddere*** (***reddunda*** VI, 480.) et quarta coniugatione (***experiundo*** I, 1026. ***conueniundo*** II, 922. VI, 480.) ***u*** praefert. Alia exempla collegit Corssen. I, p. 280. — ***Donique*** reperitur II, 1116. V, 708. 723. 997., saepius uulgaris forma, cf. Lachm. Comm. p. 139. De ***ollis*** infra dicetur.

Neque *o* et *u* accurate descriptis inter se finibus usae esse uidentur: qua de re non ita disputauit Corssen. I, p. 255. sq. 260. 308., ut ad certum finem perduxisse uideatur. Primum Plauti temporibus ubicunque *v* uel *u* praecederet, *u* in dicendo *o* factum esse uidetur: cf. ***saluos*** Trin. 593. ***auos*** 645 ***auos proauos abauos*** Mil. 374. ***laeuom*** ib. 1307. ***uacinom*** Bacch. 154. ***uiuont*** Mil. 1081. ***conseruos*** 145. 176. ***triduom ibi continuom*** 742. ***quom*** Trin. 621. 633. ***relinquont***. Apud Lucretium eadem scribendi constantia non seruatur: tamen saepe occurrunt ***uolgus peruolgare uolt uoltus uolpes uolturii*** IIII, 680. ***quom auolsus paruolus perparuom oliuom diuom aeuom linquontur loquontur*** IIII, 590. ***uiuom*** IIII, 767. ***natiuom*** V, 66. ***nouom*** 298. Accedunt formae uerbi quod est ***uertere*** cum asseclis tantum

non semper per *o* scriptae: ***uortitur*** V, 510. ***conuortere*** V, 564. ***uorti*** II, 745. ***uorsum*** II, 1053. ***diuorsi*** IIII, 1210. ut ***uotare uorrere uostram uorsipellis*** etc. apud Plautum: Ritschel. Proll. p. XCV. Victorianus talia fere nusquam exhibet. — Itaque et I, 256. ***frundiferas*** seruare poterat Lachmannus, quod confirmatur eadem scriptura apud Naeuium 27. Ri. cf. ***cor*** pro ***cur*** III, 476 ***robor*** II, 1131. ***Acheruntis*** III, 37. —

2. Transeamus ad ***ae*** et ***e*** in scriptura uariantes: qua de re disseruit Corssen. I, p. 185. Atque sane fluctuasse uidentur in scribendo et pronunciando, cf. Varron. L. L. VII, 96., qui IIII, 19. in rure ***e***, in urbe ***ae*** nonnulla uocabula habuisse refert. Nos Lucretiana enotemus exempla: ***presto*** II, 1068. 1099. III, 777. ***mestus*** I, 89. ***erumna*** III, 50. IIII, 1069. ***glaeba*** II, 897. ut in Medic. Verg.: Wagn. p. 439. ***repraehendere*** III, 858. ***poscaenia*** IIII, 1186. ***praece*** quadratus V, 1229. ***saeta*** V, 788. ***saetiger*** V, 974. ut constanter Medic. Verg., Wagn. p. 470. At ***scena*** II, 416. IIII, 983., ut Verg. Ge. III, 24., qui aliter ubique ***ae*** exhibet: Wagn. p. 470. Constanter ***saeclum saepire***. Vict. ubique pro ***ae*** ponit ę. — Post Gracchos ***oi*** et ***oe*** plerumque in ***u*** uersa esse in scribendo Corssen. tradit. l. l. I, p. 200. Supersunt tamen uetustioris consuetudinis uestigia ut apud Plautum (u. Ritschel. Proll. p. XCVI), ita apud Lucretium: ***moenera*** I, 30. IIII, 221. ***poenire*** VI, 1240. ***Poeni*** V, 1302. III, 853. ***poeniceus*** II, 830. At ***puniceus*** V, 941. Neque tamen tales formae Lucretio familiares sunt quales ***quoidam*** Plaut. Trin. 342. Mil. 131. ***quoi*** 96. Trin. 638. etc. nisi quod est II, 1079. ex Gronouii coni. ***aliquoiu'***: ***Alio quouis*** exh. Victor. — In ***ei*** et ***i*** scripturae diuersitas denuo perspicitur: restant in Leydd. exempla priscae rationis in gen. sing. ***uitrei*** IIII, 602. in plur. nom.: ***ingenuei*** I, 230. ***oculei*** III, 97. ***Graiei*** VI, 424. ***armatei*** II, 637.; in ablat. sing. ***lactei*** VI, 1251. ***dulcei*** II, 730. (***dulce*** codd.); in datiuo sing. ***omnei*** VI, 1143.; in infin. pass. ***cogei*** VI, 16. in ***utei*** (***uti***) VI, 231. I, 753. Apud Plautum, quod memorabile uidetur, rarissima sunt huius usus exempla: u. Ritschel. Proll. p. XCVIII. — Nominatiuus pluralis, qui primo ***-eis*** scribebatur, ***-is*** exaratus est, ex ea ratione quam Varro indicauit de L. L. VIII, p. 440., in ***animantis*** I, 805. ***uisentis*** II, 577. ***uitalis*** 955. ***plangentis*** 1155. ***montis*** IIII, 397. ***duplicis*** 452. ***auentis*** 1203. ***parentis*** 1221. ***imbris*** V, 216. ***partis*** 494. ***pascentis*** 525. ***florentis*** 1072. ***omnis*** VI, 396. — Ex eadem ratione uetustioris consuetudinis explicandus est in tertia quae di-

citur declinatione ablatiuus in *i*, qui *ei* antea fuit: de quo infra locus erit dicendi. Ceterum acquiescendum uidetur in tanta scripturae discrepantia in iis quae Quintil. exponit I, 4, 28: *neque E plane neque I auditur.* cf. Corssen. I, p. 230.

3. Iam uocalis syncope in uocabulis quae cadunt in *-culum* non solum usque ad Gracchos, sed etiam apud posteriores obuia est. Corssen. II, p. 6. Hanc Lucretius praecipue amplectitur: quadrant enim aptius in numeros dactylicos; est igitur *miraclorum* ex probabili Lachmanni coniectura IIII, 594. *gubernaclum* IIII, 904. *pericli* II, 5. III, 824. V, 369. VI, 603. *periclum* VI, 430. *periclo* I, 580. *pericla* III, 775. V, 1299. *periclis* I, 59. II, 15. 649. III, 55. 1076. V, 346. Semel tantum *pericula* V, 44. Porro constanter *saeclum*, nusquam *saeculum* dicit Lucretius; septies *uinclum*, semel *uincula* III, 83. cf. *poclum* Pl. Pers. 755. Curc. 359. — Simili ratione inter *p* et *l* excidit *u* in *coplata* VI, 1088. cf. *extemplo* et *extempulo* Pl. Mil. 461. Bacch. 968. et alia apud Corssen. II, p. 7. Eadem syncope apparet in huius modi formis *opposta* IIII, 148. *disposta* II, 644. *praeposta* VI, 997. Corss. II, 22. Cf. *compostus* Verg. Aen. I, 249. quibus adde *reposta* I, 36. *reposto* III, 347. *imposta* V, 543. (bis *impositus*); *posta* I, 1058. III, 870. — Alia exempla praebent *surpere* II, 314. *raptare* I, 279. *unorsum* II, 262. cf. *oinuorsei* in SC. de Bacan. *puertia* Hor. Od. I, 36, 8. Huc etiam refer *tegmen*, *fragmen* V, 1284. *propagmen* Enn. Ann. 458. — Paullo maior est syncope in *consumpse* ex *consumpsisse* I, 234. *cesse* I, 1104. *abstraxe* III, 650. *protraxe* V, 1159. cf. *detraxe* Pl. Trin. 743. *ausim* Lucr. II, 178. V, 196. Verg. Ecl. III, 32. Tib. IIII, 1, 193. (Corssen. II, p. 28. 30.) — Porro per syncopen uocalis *i* sequentis *u* oriuntur: *quiesset* I, 346. *quisse* V, 1045. *suesse* V, 912. *consuesset* I, 629. *remosse* III, 69. *cognosse* I, 332. *cresse* III, 683. quas formas non omittere debuit Corssen. II, p. 30. — Item *ui* excidit in *inritát* I, 71. *disturbát urbes* VI, 587. *superát et* V, 396. cf. *adflictát* Plaut. Merc. 648. *amát* Epid. I, 1, 82. Lachmannus in Comm. p. 291. legem statuit, huiusmodi perfectis contractis Lucretium ante uocales tantum usum esse: exempla consentiunt, neque tamen rem conficiunt. Nam certo Vergilius quoque hanc legem secutus esset, quod contra accidit: nulla enim causa est cur cum Lachmanno putemus *fumat* praesens esse in Aen. III, 3. *ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia.* — Aliud

syncopes genus est ubi *-ue* excidit; huc pertinent: ***suerit*** V, 54. ***suerint*** IIII, 327. ***crerint*** V, 780. ex probabili coniectura; ***cognoris*** VI, 533. cf. ***siris*** Plaut. Trin. 521. ***malim*** ex ***mauelim*** Mil. 1356. ***mallem*** ex ***mauellem*** Bacch. 198. Mil. 171. Hasce formas memorare poterat Corssen. II, p. 132. Iam huc referendae sunt huiusmodi formae: ***cohibessit*** III, 445. cf. ***prohibessint*** Cic. legg. III, 3, 9. et alia multa apud Plautum; ***prohibesseis*** Enn. Trag. 323. ***leuasso*** Ann. 339. ***perpetuassint*** 322. ***mactassint*** Trag. 377. Hic uix opus est ut memoremus, formam ***est*** saepe etiam in scriptura cum praecedente uerbo coalescere, ut sine dubio in pronunciando factum est.

4. Hinc ad contractionem, synaeresin et synizesin proximus est transitus: quae in dicendo apud Romanos quam longe patuerint, ex uetustioribus poetis maxime perspicitur. Quo in genere etsi non id sibi concessit, quod ex Plauto congessit Ritschelius in Proll. Trin. p. CLXI. sqq., tamen post tantum temporis spatium quanto opere id in dicendo usu receptum fuerit, etiam ex Lucretianis uersibus apparet. Sed accedamus ad singula. Ac primum quidem in compositis uerbis prioris membri uocalis cum uerbo coaluit: itaque factum est ex ***coimo como***, unde Lucretius dixit ***mixta et compta*** III. 259. cf. IIII. 27. I, 950. (Lachm. Comm. p. 135.) Ex eadem ratione duae correptae uocales in concursu productam efficiunt in ***coperiant*** VI. 491. ***coperuisse*** V, 342. ***colescere*** VI, 1068. ***coluerunt*** (codd. ***colerunt***) II, 1061. (Lachm. Comm. p. 134.) Porro contractio locum habuit in ***puri (pueri)*** IIII, 1026. quod permirum est Lachmannum negare; cf. ***puer*** monos. Naeu. 279. ***pueros*** frgm. inc. pall. 43. et in ***flutat flutant*** III, 189. IIII, 77. Porro ***au*** in ***u*** transiit in ***frudi*** VI, 187. cf. ***frudaui*** Pl. Trin. 413. et ***pausillum pausilli*** Turpil. 90. R. Nou. 62., quod postea ***pusillus*** factum est; ***pausillis*** etiam exhibet cod. Victor. in III, 229. et ***explaudentibus*** IIII, 710. — Iam ***-ii*** in genitiuis in ***-i*** contractum pronunciatum esse usque ad Augusti tempora demonstrarunt Lachm. Comm. p. 325 sqq. Corssen. II, p. 162 sq. Hanc igitur normam etiam Lucretius secutus est, quod apparet ex huiusmodi uersibus I, 313. ***stilicidi casus lapidem cauat.*** Nam de VI, 743. ***remigi oblitae pennarum uela remittunt*** et de spurio uersu V, 1006. post Lachmanni disputationem uix quisquam dubitabit. Contrahitur ***ii*** etiam in ablat. plur. II[ae]. decl., uelut in ***ingratis*** III, 1067. V, 44. VI, 216. Notanda est forma ***ali*** IIII, 637. ***(ut quod ali cibus est, aliis fuat acre***

uenenum) et VI, 1227. Recte enim de ***alis*** dubitauit Lachmannus p. 249. Haec forma referenda erat Corssenio l. l. II, p. 163. ***alii*** est quinquies in Naeuii fragm. com. 76 sqq. R. ***alis*** nusquam reperitur. Porro etiam substantiuorum Graecorum genetiuos in ***-i*** exeuntes probauit Lucretius, ita tamen, ut plures morae, non una tantum, praecederent: ***Aegi*** VI, 585. ***absinthi laticem*** I, 941. ***centauri foedo*** II, 401. ***conchyli iungitur uno*** VI, 1074. (Lachm. Comm. p. 327.) — Neque non conglutinantur in perfecto uerbi quod est ***ire*** ultimae syllabae, ut in IIII, 314. ***ater init oculos prior et possedit euntes.*** IIII, 771. ***prima perit alioque.*** In III, 1042. codices exhibent: ***ipse Epicurus obit decurso lumine uitae.*** Cedendum erit Lachmanno, qui in Comm. p. 209. neget uerisimiliter ita Lucretium dixisse, cum praeter comicos nullus poeta Latinus et ante uocales his formis contractis et ante consonantes usus sit. Scripsit igitur ***iit.*** Quamquam iure quaerit Goebelius in Progr. Iuuau. 1857. p. 21., cur in III, 502. ***reditque*** non pro perfecto habendum sit: praecedit enim ***reflexit.*** Dolendum est, ex tragicorum et comicorum fragmentis propter exemplorum inopiam hac de re nihil erui posse. Est semel ***ops exit: sed ego egens exortus sum*** in Inc. apud Rib. 44. — Iam elisa littera ***h*** contractio locum habuit in ***mi,*** cf. Corssen. II, 164.: in ***probeat (prohibeat)*** I, 977., cf. ***praebeo*** et ***prehibere*** in Vict. I, 444. Adde ***nil nilo nilum*** quae formae Lucretio solae probantur. (Lachm. Comm. p. 28.) Porro parili ratione ortae sunt formae ***uementi*** III, 152. VI, 311. ***uementer*** IIII, 29. (cf. Cassiod. p. 2229.) ***comprendere*** VI, 1083. — ***De*** praepositio imminuitur, si sequens uox quando a littera ***e*** incipit: (Vel. Long. p. 2227.): unde huiusmodi formae ***desse*** I, 43. 1111. ***derrarunt*** III, 860. ***derrasse*** I, 711. cf. ***deero*** Hor. Sat. I, 9, 56. ***deest*** monos. Verg. Aen. X, 378. ***derrauerat*** Ecl. VII, 7. —

5. Iam accedamus ad id genus, ubi per synizesin duae uocales non in unum colligantur, sed ita coalescunt ut quamuis suum utraque locum teneat, tamen unam tantum syllabam in dicendo efficiant. (Corssen. II, p. 167.) Ita ***e*** conteritur ante uocalem productam in multis formis pronominis ***idem***: ***eodem*** II, 298. 662. VI, 961. 1040. ***eadem*** I, 480. II, 483. IIII, 947. ***ea*** VI, 742. ***eaedem*** I, 306. Gemina ratio apparet in ***seorsum*** II, 473. 650. 660. 796. V, 140., quod uocabulum etiam ***sorsum*** exaratur II, 631. ***deorsum*** I, 362. II, 205. 217. 221. VI, 335. Eadem synizesis euenit in ***anteacto*** V, 174 etc. ***antehac*** I, 542. ***deinceps*** II, 333. cf. Hor. Sat. II, 8, 80. et in usitatissimis ***proin proinde deinde.***

cf. Ritschel. Proll. Trin. p. CLX. et Attii 235. 257. Naeu. 51. 67 etc. — Huc faciunt porro *aranei tenuia fila* III, 383. addendum iis exemplis quae collegit Corssen. II, p. 170. — At de *aurea* quod coniecit II, 829. Lachmannus, dubitare licebit: praestabit Goebelii emendatio scribentis *austrum*, codicibus *aurum* exhibentibus. (Progr. gymn. Iuuauiensis MDCCCLVII p. 14.) — Huc referri potest *u* ante uocalem in consonantis locum cedens: quod factum est in *tenvis* I, 875. II, 232. IIII, 748. V, 148. *tenvia* IIII, 66. 728. 743. 756. 802. 1096. VI, 463. 1188. *tenvem* IIII, 731. *tenve* IIII, 1242. VI, 1194. *extenvantur* IIII, 1262. Ceteris in locis propria sua huic uoci constat mensura. cf. *genva* Verg. Aen. V, 432. XII, 903. Adde *equorum duellica proles* II, 66. *suo* monosyll. I, 1022. cf. Enn. Ann. 278. et *quattor* En. Ann. 96. Hac forsan ratione explicanda est forma *strena (strenua)* apud Non. 17, 1. (Rib. fr. com. p. 205.) — Iam per synaeresin nonnumquam *i* ante uocalem quodammodo delitescit, ut in hoc uersu II, 991. *denique caelesti sumus omnes semine oriundi.* Neque inauditum est *conubium conubia* trisyllabum V, 1013. III, 776. quod ex *cognita sunt* Lachmannus effinxit. Idem autem uix adfirmari potest de *scio* in I, 1114., ubi codices *haec sic pernosces parua perductus opella.* Quamquam enim Plauto familiare est *scio* monosyllabum (Ritschel. Proll. p. CLXII), tamen Lucretio per coniecturam non inculcandum fuit. Elegantius sane Bernaysius coniecit *haec sis pernoscas.* — Quo in genere non sunt praetereundi duo loci, ubi ex Lachmanni coniectura non post simplicem sed post duplicem consonantem *i* delitescit. Nam post simplicem consonantem sane hoc nullam habet offensionem: cf. Enn. Trag. 211. *régis Péliae pér dolum.* Enn. Ann. 97. *auium* bisyllab. ib. 414. *hic insidiantes uigilant, partim requiescunt.* Titin. 77. *hánc domo faciam, pílatricem pálli:* nam *domo* pyrrhichium hic efficit, ut in Naeu. 93. Com. *dómo patres patriam út colatis.* Ad hanc synizesin reuocandae sunt Plautinae formae *euenat conuenant peruenas* etc. (Ritschel. Proll. p. CLXII sq.), huc porro forma *guberna* Lucr. IIII, 339., orta ex *gubernia,* quod est apud Gellium XVI, 7, 10. e Laberio; contra de *aplustra* aliter statuendum est, quod infra demonstrabimus. Sed, ut ad illos locos redeamus, in I, 1106. libri tradunt *neue ruant caeli penetralia templa superne Terraque se pedibus raptim subducat et omnis Inter permixtas rerum caelique ruinas Corpora soluentes abeunt per inane profundum.* ***Omnia*** scripsit Lachmannus Comm.

p. 72. Sed scribamus *abeat* uocemque *omnis* ad terram referamus: tum ab hac licentia uindicatus erit Lucretius. Alter est locus II, 719. *sed ne forte putes animalia sola teneri Legibus his, quaedam ratio disterminat omnis.* Ibi Bernaysius uir ingeniosissimus pro *omnia* quod Lachmanno placuerat, scripsit *omne.* Fortasse poeta uoluit *legibus his, mundum ratio disterminat omnem.* Plautus certe non nisi in paucissimis anapaesticis (Ritschel. Proll. Trin. p. CLXI) *omnium* bisyllabum usurpauit. Mirum est sane Vergilianum illud Aen. VI, 33.: sed etiam aliis in rebus accuratior quam Vergilius fuit Lucretius. — Iam omissa *i* semiuocali ortae sunt formae *eicit* sub ictu III, 877. IIII, 1072. cf. *eicere* Pacuu. Trag. R. p. 107. *eiciebantur* Enn. Trag. 9. *reice* Verg. Buc. III, 96. — Hic memorari potest *rei* monosyllabon III, 918. IIII, 885. et *cuius* in I, 149. *principium cuius hinc nobis exordia sumet.* In cod. Victor. scriba uerba hunc in modum transponit: *principium hinc cuius.* In IIII, 1089. haec synizesis Lachmanni coniecturae debetur: nescio an omnino e Lucretio sit tollenda. Cf. *eius* Naeu. 3 etc., nam comicis hic usus maxime familiaris est (Ritschel. Proll. p. CLXIIII).

6. Iam synizesi aptissime adiungitur de diaeresi disceptatio. Haec praecipue cadit in formas uerbi *soluere* cum progenie sua: *dissolüi* I, 528. 1040. III, 470. V, 360. *dissolüuntur* III, 706. 764. *exsolüatur* I, 811. *exsolüat* VI, 598. Accedunt *suescendi* formae: *süemus* I, 60. 301. *süerit* VI, 954. *süetis* II, 903. *süesse* V, 912. quas praeter I, 60. ubique in fine uersuum collocauit. Adde *relicüo* I, 560. 955. III, 648. *aqüae* VI, 552. 868. *aqüai* VI, 1072. *conseqüe* VI, 679. ex Lachmanni emendatione; *süadent* IIII, 1157.

7. A uocalibus ad consonantes proximus est transitus.

Ac primum quidem in quibusdam uocibus eae auctae apparent duplicata scriptura: ita legimus *loquella* I, 39. V, 71. 230. *luella* III, 1015. *querella* III, 954. IIII, 546. 584. 1182. V, 1384. VI, 15. 16. 1244. Attamen uariant ea in re Lucretiani codices: u. Lachm. p. 203. *obsequella* est apud Turpil. 63. Afran. 257. *querella* Syr. sent. 852. Lachmannus hanc legem statuit (p. 204.), *l* simplici scribi in quibus *e* litteram longa syllaba praecedat, *l* geminari ubi prima breuis sit. Attamen ipse excipit deminutiua cum uocali contractione producta. Corssenus I, p. 83. scripturae diuersitatem notans exemplisque comprobans in dicendo paullum interfuisse inter *l* et *ll* contendit ideoque

nihil certi ea de re posse constitui. Cum quo facere uidetur dissensio ueterum grammaticorum, quorum locos huc pertinentes collegit Conr. Schneiderus in Gramm. Lat. I, p. 414. Probabile tamen uidetur, sicut in deminutiuis, ita in omnibus huius generis uocibus *l* geminari: simplex scriptio reuocanda est ad ueterem scripturam quae ubique litterarum geminationem fugiebat cuiusque uestigia satis obuia sunt etiam in Victoriano. Ita est in SC. de Bacanalibus ***Duelonai facilumed tabelai esent adesent habuise;*** in nummis ***Sula*** cf. Eckhel. doctr. num. T. 5, p. 299. Contra ***anulus anellus*** falso a prioribus editoribus per duas *n* scribuntur. ***Amulum*** est in Inscr. Grut. p. 59. nr. 2. — Geminationem litterae *p* correptae syllabae productio postulat in ***cuppedo*** I, 1082. III, 994. V, 46. Eadem de causa consonans geminatur in ***uaccillans*** III, 504., nam uulgaris forma *a* corripit; in ***lammina*** III, 1017. cf. Front. p. 240. Wagner. Orth. Verg. p. 444. Lachm. Comm. p. 205.), cum uulgo scribatur ***lamina lamna*** Hor. Od. II, 2, 2. ***russus*** IIII, 75., quadratus, ***rusus*** oblongus et Vict. exhibent: praestat geminatio, ut in ***russatus russeolus russeus russulus:*** nam radix horum uocabulorum *u* corripit. Quo in genere notanda est scriptura ***arridus*** fere constanter seruata in Victoriano.

8. Iam ut ueniamus ad consonantium insertionem et remotionem, *c* per ubertatem quandam in scribendo admissum est in ***restincxit*** III, 1044.[15]) ***adiuncxit*** V, 1195. cod. Victorian. cf. ***quincto*** Trin. 524. Ritschel. Proll. p. CII. IIII, 641. codices exhibent ***cocturnicibus***. Ex iis quae Caper dicit p. 2248. ***culurnices, non cocturnices***, hanc formam a quibusdam usurpatam esse apparet: corripitur *o* in Ouid. Am. II, 6, 27., Iuuen. XII, 97.; producitur a Plauto in Asin. III, 3, 76. et in Captiuis V, 4, 6. Certe ubi producitur, praestabit scribere per ***ct***. Simile est ***uirecta*** quod exhibent Medic. et Vat. Aen. VI, 638. pro ***uireta***. Idem contigit in ***Luctatius*** et ***Lutatius*** Sil. Ital. VI, 687. XIII, 731. — ***N*** praecipue ante *s* sese insinuare solet, ut in ***thensaurus*** Ritschel. Proll. CIII. Idem fiebat in ***Megalensia Forensia Hortensia***, quae postea sine *n* littera dicebantur secundum Vel. Long. p. 2237. Ita est ***uensicula*** apud Lucr. in VI, 130. cf. ***Acheruusia templa*** Enn. Trag. 70. Rib.

---

[15]) *Extincxit* est apud Grut. p. 333. nr. 4. uexor p. 93. nr. 2. coniunex p. 529. nr. 2. iuncxit p. 462. nr. 1. Philocxenus p. 920. nr. 3. Conf. de hac re Schneider. Gramm. I, p. 374 sq.

Alia exempla congessit Conr. Schneideri diligentia in Gramm. Lat. I, p. 458 sqq. Huc reuocandum est Graecum nomen *Scaptensula* VI, 180., quod etiam testantur Festus p. 330, 15. atque ex eo Paulus 147., quod apud Graecos erat Σκαπτησύλη (Herod. VI, 46.) et ***Peloponnenso*** in Vict. VI, 586.

Ceterum in nonnullis uocibus *n* tum pronunciatum tum omissum esse uidetur: quod apparet e numeralibus aduerbiis in ***-iens;*** ex ueteribus formis adiectiuorum in ***-osus*** cadentium, quae *n* tenent, ut *grammonsus* apud Caec. 268. Itaque etiam in Lucretianis codicibus *n* ante *s* nonnumquam omitti, ut in *animas* pro *animans* Corssenus obseruauit l. l. I, p. 97., atque exempla collegit. cf. *sponsa praegnas* Naeu. Pall. 125. — ***P*** euphonicum inter *m* et sequentem lingualem interponitur, cf. Prisc. p. 854: *m manet: timeo timui emo emi. Assumit ps: demo dempsi como compsi promo prompsi.* Id. p. 897. *emo emptum facit, quod ideo assumpsit p, quia non potest m ante t sine p inueniri, euphoniae causa.* At hoc quoque in genere fluctuat uehementer membranarum traditio. Est *pedetemtim* apud Lucr. V, 523. 1453., *pedetemptim* apud Lucilium (Charis. p. 190.) *hiemps* V, 747. Sic fere semper cod. Victor. seruauit ueterem orthographiam in ***sompnus.*** Multa huiusmodi apud Plautum reperiuntur: ***dampno*** Trin. 584. ***corrumptor*** 240. ***corrumptum*** 114. 116. ***contempnit*** 325. ***antempnas*** 837. Adde Lucr. I, 950. III, 259. IIII, 27. ***comptus*** etc.

9. ***R*** excidit in *prosum* pro *prorsum* III, 44. 514. ***introsum*** 534. ***rusum*** III, 1001. IIII, 333. ***rusus*** V, 749. cf. Vel. Long. p. 2237: ac tota *r* littera sublata est in eo *rursum (rusum)* et *retrosum. rusus* est Naeu. com. 89. *rusus prosus* Enn. Trag. 104. *prosum* Afran. 93.; de Plauto u. Ritschel. Proll. p. CIIII. Hinc est ***Maspiter*** pro ***Marspiter*** Prisc. p. 695.

10. Littera *s* excidere uidetur in ***multimodis*** I, 813. 868. III, 853. etc. de qua forma Cicero Orat. §. 153. cf. Pacuu. 307. Rib. ***mirimodis*** Plaut. Trin. 931. Nam alias plenae formae reperiuntur ***miris modis*** I, 123. ***modis multis*** 726. ***miseris modis*** III, 507. cf. ***multis modis*** Enn. Trag. 20. ***miris modis*** Plaut. Mil. 508. ***miseris modis*** Most. 54. ***malis modis*** Bacch. 490. — Similiter etiam *mage* et *pote*, quae frequentat Lucretius, orta uidentur: nam a *magis potis* abscisa littera ***s*** uocalis ***i*** in ***e*** debilitatus est: cf. Corssen. l. l. I, p. 271. Contra tota syllaba excidit in *famul* III, 1035., qui uersus ex Ennio (Ann. 317.)

depromptus est. cf. *figel (figulus), mascel (masculus)*, in Anal. Gramm. Eich. Endl. p. 443., et Enniana *gau* Ann. 451. *cael* 561. — In uersibus litterae *s* quod attinet apocopen, etiam Ciceronem notum est in Arateis hanc libertatem assumpsisse, sed raro utque uidetur non nisi ante simplices consonantes aut mutam cum liquida. At eiusdem temporibus hunc morem abrogatum esse ipse adfirmat in Oratore cp. 48. §. 161.: *quin etiam quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum quorum caedem erant postremae duae litterae quae sunt in optumus, postremam litteram detrahebant, nisi uocalis insequebatur.* Cf. Quintil. $\overline{\text{VIIII}}$ 4, 38. Apud Catullum unicum exemplum extare uidetur in $\overline{\text{CXVI}}$ 8. *tu dabi' supplicium.* Vetustiores autem poetae non solum in correptis, uerum etiam in productis syllabis *s* uidentur abscidisse: ita est *multis sum modi' circumuentus* Enn. Trag. 20. Ennius in Annal. 103. Va. *Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas,* ubi opus non erat ut Vahlenius scriberet *Virginis. Nam* etc., cum ex aliis adferat Cicero in Orat. §. 153.: *uas' argenteis, palm' et crinibus, tecti' fractis.* Sed haec hactenus: Lucretius certe non nisi in correptis terminationibus *-us* et *-is* apocope usus est. In his ueteres *s* ne scripsisse quidem apparet ex iis exemplis quae collegit Corssen. I, p. 119. Apud Lucretium longe maxima pars ad quintum heroici uersus pedem pertinet, ut aut finem eius faciat syllaba detruncata, aut arsin eius pedis subsequatur. Itaque cum fere $\overline{\text{LXXII}}$ ies hoc genere usus sit Lucretius, $\overline{\text{LI}}$ exempla ad quintum pedem reuocanda sunt. Is enim cum integrum dactylum desideret, ei huiusmodi formae maxime conueniebant. Longe rarius, id est octies, in quarto pede hoc genus occurrit. Omnino autem aptius erat alteri uersus parti ad exitum properanti quam priori. Iam uero in hac secundus pes maximum numerum sibi uindicat: in eo enim decies reciditur *s,* in tertio ter (II, 53. III, 493. V, 1445.), bis in primo (I, 978. II, 462.). Sequens autem uerbum semper a simplici uocali aut a muta cum liquida *(pr fr fl)* incipit, exceptis VI, 195. *pendentibu' structus,* VI, 943. *manantibu' stillent,* in quibus positione syllaba non producitur. Iterationem apocopes in eodem uersu poeta bis tantum admisit II, 53. *quid dubitas, quin omni' sit haec rationi' potestas?* et IIII, 1035. *ut quasi transactis saepe omnibu' rebu' profundant.* Nusquam triplicem in eodem uersu sibi concessit apocopen, ut Ennius Ann. 601. *tum laterali' dolor certissimu' nuntiu' mortis.* Neque tam

frequens est in hac re quam Ennius qui in *C* uersibus quinquies et decies eam adhibuerit.

Ex cod. Victoriano notanda est scriptura constanter seruata auptumnus pro autumnus; scruptantes VI, 809. et proptinus VI, 880.

Iam hinc ad

Cap. III. Verborum mensuras

1. nos propositus commentationis traduxit ordo. Ac primum quidem de longarum syllabarum correptione disseramus. Quo in genere notandum est genetiuum *totius* apud Lucretium ubique uocalem *i* corripere, praeter II, 274. 409. ante consonantem *totius corporis* et VI, 682. *totius subcaua montis.* Similiter ubique *nullius* (– ⏑ –) dixit praeter I, 960., ubi sub ictu *i* producitur. Adde *illius* (– – ⏑) III, 1062., *illius* (– – –) VI, 18. Semper *ipsius* (– – ⏑) dixit, ut VI, 918. In *alterius* *i* corripi ubique flagitabat heroici uersus numerus. *ipsius* (ī) est etiam Enn. Inc. lib. 12. *alterius* (ī) Sat. 29. *illius* (ĭ) Attius habet 185. 268. *illius* (ī) 201. Afran. 148. 150. Turpil. 156. *ipsius* (ī) Afran. 257. — *homo* quod I, 66. VI, 676. uocalem alteram producit, corripit in VI, 652. *homo terrai* et III, 925: *nam correptus homo ex somno se colligit ipse.* Iambica enim uocabula elisionem pati non sinit ars Lucretiana. Frequens est scenicis haec correptio: u. Ritschel. Proll. p. CLXVI. Cf. Afran. 872. Laber. 18. — Ex iis porro aduerbiis quae *e* producere solent, si quidem ab adiectiuis in *-us* cadentibus deriuantur, correpta ultima usurpauit *superne* IIII, 439. VI, 597. et *inferne* VI, 187. 597. 764., ita ut in paenultimam quinti pedis ictus incidat. Horatius in hexametris *superne* non nisi ultimum uerbum esse uoluit Serm. II, 7, 64. A. p. 4. *e* corripit Od. II, 20, 11. Accedunt trita *bene male.* *Temere*, quod ultima correpta exhibent Plautus Terentius Ennius trag. 353. Turpil. 117., non nisi in elisione dactylicis poetis erat concessum. *Longe* autem mirum est Raph. Kühnerum in Gramm. Lat. Ling. p. 13. contendere correpta ultima esse apud Lucretium et Horatium: id enim ne semel quidem factum est. — In tertia perfecti actiui pluralis persona hanc legem sibi statuit poeta, ut *e* produceret, ubi metri rationes concederent: idque cadit in formas *ceciderunt* III, 452. VI, 588. 1084. *tetulerunt* VI, 672. accedente quarti pedis ictu. Contra ne creticus existeret, *e* corripuit in *deciderunt* VI, 2.

excierunt IIII, 37. *inciderunt* VI, 1174. *desierunt* IIII, 402. *destiterunt* IIII, 975. *dididerunt* VI, 2. *institerunt* I, 406. *occiderunt* III, 1028. *prodiderunt* III, 86. *transtulerunt* III, 105.

2. Iam transeamus ad correptae uocalis productionem. Qua in re tenendum est, uetustissimam linguam Latinam abundasse uocalibus productis, easque paullatim correptas esse. Itaque, si uerum quaerimus, dicendum esset de uetere usu seruato. Atque ad producendas correptas syllabas aliquantum contulisse uersus ictum apparet praecipue ex Ennii ueterumque carminibus: nam praeter eos uersus in quibus *l* littera syllabam longam facere etiam Lachmanno uidetur, praeterque eos Ennianos locos, quos in aliis litteris se solos inuenisse profitetur p. 76. haec respici debent: Ann. 247 *quocum multa uolup ac gaudia clamque palamque*, 422 *tollitur in caelum clamor exortus utrimque;* adde ictus ui productum 242. *partem fúisset de summis rebus regundis;* 121 .. *Quirine pater ueneror Horamque Quirini*, 275. *miscent inter sese inimicitiám agitantes*, 408. *qui clamor oppugnantis uagore uolanti* 562. *populeá frus;* cf. L. Afran. ap. Non. 102, 15. *exficio*. (– – – –). Atque longe rarius apud eundem Ennium sunt ei loci in quibus correptae uulgo syllabae in thesi producuntur: Ann. 520 *clamor ad caelum uoluendus per aethera uagit*. 314 *noenum rumores ponebat ante salutem*. 350 *horitatur induperator*, sed dubia est lectio. Neque certi aliquid suspicari licet de u. *agea* in 484 *multa foro ponit et agea longa repletur*, quamquam si recte se habet Festi deriuatio a uerbo quod est *agere*, prima *a* corripitur, altera igitur producitur. Iam uero etiam in *tibi ibi sibi ubi* etc. ubicunque apud Ennium ultima producitur, ictus accessit: quod idem in Lucretii uersibus euenit. In his autem alteram *i* olim longam fuisse, ueteris scripturae uestigia testantur, cf. Lachm. Comm. Lucr. p. 91. et *ibei* Enn. Ann. 261. Itaque cum in II, 291. codices exhiberent: *et deuicta quasi cogatur ferre patique*, *Id facit* etc., non opus fuit emendatione *quasi id* quam Lachmannus proposuit: nam non solum Plautus et Ennius Trag. 66., sed etiam Pomponius (u. 74.), qui Lucretio aequalis fuit, hoc uocabulo pro iambo usus est. Displicet *id* praeterea, quod ab eadem uoce insequens uersus incipit. Nec cum Horatius dixerit *ridet arat soleat agit* longa ultima, multaque similia priores, potest intelligi, cur Lucretio non dicere licuerit II, 27. *nec domus argento fulget auroque renidet*. Quod enim Lachmannus contendit, hunc poetam nusquam *fulgeo*

dixisse, V, 768. uterque codex exhibet *fulget*, II, 800 *refulget* VI, 213 *fulgere* (ē), quod retinendum esse iure censuit Goebelius in progr. Iuuau. a. MDCCCLVII p. 12., qui rem Vergilii ipsiusque Lucretii exemplo, qui et *densare* et *densere* dixit, comprobauit. — In *glomere* I, 360. *o* producitur, cum alias in *glomerare conglomerare glomeramina* ab eodem poeta corripiatur; accedit I, 453. *liquor aquai* producta *i*, quam ubique corripere solet in hoc uerbo poeta, et similiter *liquidus* I, 349. III, 427. ante uocalem et *liquida* II, 452. IIII, 1259. *crassaque conueniant liquidis et liquida crassis.* Semper in hac uerborum familia *liquefacio liqueo liquesco liquidiusculus liquare liquor* *i* corripiunt Vergilius Catullus Propertius Horatius utque uidetur etiam Terentius et Plautus: nisi quod hic in senario dixit Mostell. III, 2, 64. *tam liquidus est quam liquida esse tempestas solet.* Huic uoci accedit adiectiuum *fluuidus*, quod ut *fluidus* *u* corripit: ita est a Medic. et Rom. Georg. III, 484. Aen. III, 663. a Mediceo exaratum, u. Wagn. Orthogr. Verg. p. 438. Breuis est *u* in Lucr. II, 452., producitur sub ictu II, 464. 466. — Hic memorandum est sub ictu *modo* iambum efficere, quam particulam pyrrhichium alias esse constat, II, 941. 1135. IIII, 1181. cf. *cógnorís elementis* VI, 534.

3. Transeamus ad alia. Nota est grammaticorum lex, eas quintae declinationis formas, quae in *-ei* cadunt, si praecedat consonans, *e* corripere. Excipienda est autem forma *fidei* longae paenultimae in Enn. Ann. 342. (*plenu' fidei*) et Lucr. V, 102. *uia qua munita fidei.* Eadem productio apparet in altera genetiui forma *fide* Hor. Od. III, 7, 4. Plaut. Aul. IIII, 6, 1. Poen. IIII, 2, 68. Deinde etiam in *rei* priorem syllabam nusquam corripuit, sed ubique aut longam usurpauit aut contraxit cum altera. Itaque seruauit longam uocalem quae postea in breuitatem abiit. Huiusmodi exempla u. Ritschel. Proll. p. CLXXI. et Schol. hib. Bonn. 1841. Ita autem forma *rei* usus est Lucretius, ut aut in fine uersus ictus in *e* repositus esset (II, 236. 548. III, 927.), aut in medio uersu *i* syllaba acciperet, ut in I, 688. II, 112. VI, 918. Similiter, ut apud Plautum, in dandi casu *ei* ictu accedente in uersuum fine producta priore syllaba dixit, ut II, 1136. III, 556. V, 284. VI, 674. 710. 729. 795. — Ambiguam porro mensuram uersui indulgens in nonnullis uocibus sibi concessit Lucretius: quo in genere referenda est ea ratio, quam in uerbis cum *facio* compositis obseruauit. In huiusmodi enim uerbis *e* produxit, ubi aut ictus in eam uo-

calem caderet aut syllaba correpta creticus esset effectus; alias autem semper corripuit. Quamobrem longa *e* utuntur *conferuéfacit* VI, 353. *expergefactum* V, 1208. *expergéfactique* IIII, 994. *expergefacta* II, 413. *liqué fit* VI, 965. *patéfiet* VI, 1001. *putrefacta* II, 888. *uacé fit* 1005. 1017. Contra *e* breui utuntur ea de causa quam indicauimus *cale fécit* VI, 686. *conlabefiunt* III, 601. *cinefactus* III, 906. *conlabefacta* IIII, 697. *labefacta* III, 593. *labefactatus* I, 492. *patefecerat* V, 809. *patefactum* V, 597. *patefacta* IIII, 895. *patefit* I, 177. *tepefacta* VI, 322. *timefactae* II, 44. In *rarefieri* I, 648. II, 1139. III, 442. *e* producitur quod *rare* uice fungitur aduerbii ab adiectiuo II[ae]. declinationis deruati.

4. Transeamus ad aliud genus compositorum, id est uerborum cum praepositione iunctorum. Primumque de *pro* dicamus, quae in non nullis uocabulis corripitur, cum natura producatur, cf. Gell. II, 17. Prisc. p. 996. Valer. Prob. p. 1429. Huc pertinent nonnulla composita in quibus uerbum a littera *f* incipit: *profari profecto proficisci profugere profundere profundus*, sed *proferre proficere* (ō), cf. Gell. N. A. II, 17. Breuis est *pro* etiam in *profiteri* Enn. Trag. 384. et in *procella procul*. In hisce uerbis eam mensuram quam diximus, integram seruasse etiam comici uidentur: certe in Terentio Ennio Tragicis Lucretio nihil contra est. Mirum sane uidetur quod Catullus LXIIII, 202. dixit *has postquam moesto profudit pectore uoces*. — At in aliis nonnullis uerbis fluctuat mensura huius praepositionis, ut in *propagare*, quod *o* producit I, 195. V, 850., corripit I, 20. II, 173. V, 856. *propago* substantiuum corripit I, 42. IIII, 997. V, 1027. *Propages* Pacuu. 20. *propagmen* Enn. Ann. 458. *propagat propagatus* Inc. trag. 103. 101. producunt. Vergilius *propago* in Georgicis (II, 26. 63. producta *o*, in Aeneide (XII, 827. VI, 871.) correpta usurpat. Eandem uarietatem testatur u. *propellere*: nam est *propellere* (ō) III, 160. 162. IIII, 286. V, 486. VI, 1027. *propellere* (ŏ) IIII, 195. VI, 1026. Alii omnes producunt ubique. In ceteris huius generis compositis semper longam usurpat uocalem in *pro* Lucretius.

Re praefixum ante simplicem consonantem uel mutam cum liquida longe maximam partem corripitur. In nonnullis compositis insequens consonans duplicata apparet ad producendam syllabam: huc refer *redducere* I, 228. bis. III, 992. V, 1337., nusquam *reducere*. Idem in Plauto et Terentio contigit. De Ennio tragicisque certum iudicium prohibet exemplorum penuria.

At a Catullo inde *reducere* omnes dixerunt. Cf. Cat. LV, 11. LXXVI, 11. Nam Hor. Serm. II, 3, 191. *deducere* recte legitur. Similiter constanter *reccidere* dixit Lucretius I, 857. 1063. V, 280. et *rellatus* II, 1001., at V, 686. *relatus* ***Reccidere*** etiam Enn. (Sota 5.) et P. Syrus (Sent. 579. 792.) solum agnoscunt. Mirum igitur esset si Plautus in Menaechm. III, 2, 54. scripsisset *omnes in te istaec recident contumeliae.* Facili opera emendari poterit hic uersus in hunc modum: *omnes in te istaec contumeliae reccident.* Cf. *facias* bisyll. Asinar. 489. In Terent. Hecyr. Prol. 39. nihil obstat quin *re* producatur. — Iam *j* post *re* apud Lucretium ubique eam uim habet, ut hoc praefixum producat, in *reicere reiectant.* Per syncopen litterae *j* explicandae sunt formae *reicis* Stat. Theb. IIII, 574. *reice* Verg. Ecl. III, 96. *reicis* Plaut. Asin. 254. bisyllaba. — Per eandem syncopen formam iambicam *ei* ortam esse confirmatur monumentorum scripturis: *eiIus eiIusque* etc. ap. Corssen. l. l. I, p. 128. In *religio* et *reliquus reliquiae* quod simplici consonante scriptum codd. exhibent (praeter V, 114. *relligione* et VI, 825. *relliquias*) Lucretium omnesque dactylicos poetas metri necessitas ad producendam syllabam natura breuem adduxerunt. ***Reliquias*** *e* breui est apud Titinium, *relicŭo* (– ⏑ ⏑ –) Syr. Sent. 161. Lucretius, ut Plautus Terentius Caecilius omnesque priores non nisi *reliqŭus* agnoscit, nam si trium syllabarum forma praesto fuisset, cur *reliqui reliquo* (⏑ ⏑ –) non dixisset? At est apud eum *rélicŭo* I, 560. *réliqŭo* III, 648. *rélicŭas* IIII, 975. Metro igitur illam productionem concessit. Quod cum ab se non impetrarent, hoc adiectiuo prorsus sese abstinuerunt Catullus Tibullus Propertius Vergilius Horatius. Itaque et Lucretii et horum aetate non nisi IIII syllabarum forma usu recepta fuit. Postea demum apud Persium Martialem Iuuenalem trisyllaba forma occurrit. Sed euerteret hanc obseruationem, si genuinus esset, P. Syri, Lucretio aequalis, senarius: (753 Rib.) *Stultum imperare réliquis qui nescit sibi.* Nec uero dubitamus quin sit spurius. — Iam quod IIII, 270. est *remota* ***e*** longa in oblongo et Victor., in quadrato *remmota,* fortasse scribarum incuriae debetur; quamuis in Terent. Hec. prol. 2, 14. scholiasta se *remmotum* legisse contendit. — In *refert referre* primam syllabam e uoce *res* ortam esse ipsa mensura demonstrat.

5. Hinc iam transeamus ad eam rationem quam Lucretius obseruauit in tractanda p o s i t i o n e. Statimque procedat licet

de mensura praefixi *re* supra instituta quaestio. In talibus uerbis Terentius Ennius Catullus Vergilius Propertius constanter *re* corripiunt: Horatius maximam partem, i. e. exceptis Od. III, 24, 9 et A. p. 468. Lucretius plurimis huius generis uerbis tum longa tum breui syllaba *re*, secundum uersus rationes, utitur, quod apparebit ex hoc indiculo. Primum in *reprehendere retrahere* plurimisque formis u. *recreare* non potuit quin *re* corriperet; contra poeta dactylicus non aliter dicere debebat quam *rétribuát* V, 277. Hoc igitur uerbo nec Vergilius nec Horatius Catullus Propertius utuntur. In ceteris fluctuat Lucretianus usus: *reclamat* (ē) I, 623. *recludere* corrept. III, 360., prod. 366., *recrescere* V, 260., *reflare* IIII, 938., *e* breui; *reflectere* (ē) III, 502. IIII, 442. *refrenare* fluctuat, corr. I, 850. II, 283. VI, 568. prod. II, 276. 1121. IIII, 1085. VI, 531. *refrigescere* IIII, 703. *refringere* IIII, 440. producunt, *replere* II, 806. 1170. IIII, 319. 626. V, 40. VI, 260. corrip., I, 394. IIII, 372. 378. 607. V, 814. VI, 718. producit. *Retractare* breui *e* IIII, 1200. *retrahere* II, 155. breui, V, 480 longa *e*. In Terentio Ennio tragicorum Comicorumque fragmentis in paucissimis productionis exemplis etiam duplicatio traditur consonantis a libris manu scriptis: *repprime* Att. tr. 626. *repprimam* Ter. Hec. V, 1, 39. Itaque *rettritum* scribendum est in Naeu. Com. 127. Similiter non spernendum est quod in Lucr. VI, 92. Victor. exhibet *suppremae*.

Accedamus ad mutae cum liquida intra uerbum positionem aut neglectam aut obseruatam. Vix opus est memorare excipienda esse ab hac quaestione ea uocabula, quae uocali natura producta utuntur, quod euenit in iis uocibus quae deriuantur a primae coniugationis uerbis, ut *lauabrum* VI, 799. *flabrum aratrum* etc., cf. Lachm. Comm. p. 394. Adde *quinquatrus* Nou. 95., quod a quinquando dictum est: Charis. p. 62 P.

Br: *labrum*. Vocalem corripi apparet ex adiectiuo *labeosus* IIII, 1169. Longa est apud Lucretium I, 940. IIII, 15. 550. V, 1407. 1194. breuis IIII, 588. Terentius corripit, ut Plautus Naeuius Afranius: sed Catullus Vergiliusque constanter producunt, Propertius fluctuat, Horatius in Odis corripit, in Sermonibus et Epistulis producit. — *ludibrio* (– ⌣ ⌣ –) V, 1326. *ludibria* (– – ⌣ ⌣) II, 47. Vergilius producit, ut fere semper in huiusmodi uocibus. Corripit Terentius. — ***Lugubris*** (– – ⌣) IIII, 546. V, 226. Sic Vergilius Ouidius, corripit Terentius Attius. — ***Latebrae*** (ĕ) I, 409. V, 751. 973. *latebras* (ē) III,

503. VI, 766. Fluctuat etiam Vergilius. — *Cerebrum* (ĕ) VI, 803. Vergilius producit. — *Colubra* (ū) V, 27. *colubra* (ŭ) Turpil. 108. Pompon. 118. Producit Verg. — *palpebrae* *e* longa IIII, 952. dactylicus poscebat numerus. — *terebrare* (ĕ) V, 1268. Sic Vergilius, producit Ou. Fast. VI, 697. — *concelebrare* (ĕ) II, 345. uersus postulabat. — *tenebrae* *e* prod. II, 746. 798. V, 11. VI, 490., corr. III, 1. 77. 90. 91. 414. Terentius Caecilius Afranius Attius Ennius corripiunt, Catullus producit, Vergilius utramque rationem sequitur. — *Muliebris* (- - – -) III, 1227 et ubique: sic uersus flagitabat. Breuitatem testantur Terentius Caecilius Pacuuius. — A *ruber* (ŭ) IIII, 1051. est *rubrum* IIII, 405. corr., *rubra* prod. *u* II, 803. Priores, ut Ennius, *u* corripiunt, posteriores, ut Catullus Vergilius constanter producunt. — *Vibrare* (ī) III, 657, ut semper Vergilius. *Vibrant* Ou. Met. III, 34 et *vibrare* corr. *i* Catull. 36, 5. — Veniamus ad *cr: sacrorum* I, 96. II, 610. *sacra* V, 1163. corr., at in praecedente uersu producunt. Terentius ueteresque tragici non produxerunt, semper autem Vergilius. — *Volucres* *u* breui I, 12. III, 984. 993. 1006. 1197. VI, 173. ut Naeuius, longa V, 801.: ambiguam mensuram testatur Quintil. I, 5, 28. Variat mensuram Vergilius plurimique alii. — *Lucrum* V, 875. (ū). Constanter corripiunt Terentius, Comicorum fragmenta, Plautus, ut uidetur; Horatius ambiguus est, Vergilius hac uoce non utitur. — In *mucro* V, 1274 etc. *u* natura produci uidetur: nam correptionis uestigia non extant. — *Lacrima* *a* breui semper Lucretius dixit, ut Terentius Fragm. Comic., Ennius Vergilius. Longa Hor. Epl. I, 17, 59. (neque enim aliter poterat in dactylico uersu, et Od. IIII, 1, 34. ob eandem causam.) — Correptio est porro in *perterricrepus* VI, 126. *turicremus* II, 353. *Democritus* III, 371. V, 622. *Cecropis* (ĕ) VI, 1139. cum alii omnes *Cecrops Cecropius* *e* producta dixerint. — *cl* in Graecis uocabulis: *troclea* IIII, 905. *Empedocles* I, 716. syllabam non producit. Cf. Hor. Ep. I, 12, 20. — *dr: hydra* (– ⏑) V, 27. Hanc productionem posteriores secuti sunt. — Semper *quadratus quadrupes* *a* longa, ut Catullus in *quadraginta quadriuiis.* Corripit Terentius Pacuuius Attius Ennius Naeuius. Vergilius constanter producit in *quadra quadrifidus quadriiugus quadrare*; in *quadrigae* corripit. — *fl:* in *largifluus* V, 598. et *fr:* in *fluctifragus* I, 305. *ossifragae* V, 1079. *siluifragus* I, 275. positionem non efficiunt. — *gr. agri* II, 1174. *agros* V, 1248. *a* breui, *peragro* I, 926. IIII, 1. *peragrauit* I, 75.

agros V, 972. 1104. 1291. 1366. VI, 642. 1139. *agris* VI, 1259. *a* longa, ut *agricola* propter uersum. Item *peragrans* II, 355. *agrestis* V, 1383. 1398. Terentius constanter breuem syllabam usurpat, Catullus *agros* corripit, in *agricolae* producit, Vergilius semper in *agri* etc. *agricolae* longam, sed ancipitem in *agrestis* usurpat, quod duobus in locis *a* corripit. — *integer: integros* I, 927. IIII, 2. *integra* III, 705. *integris* VI, 231. *integrare* I, 1032. II, 1106. longa *e*, semel *integra* breui VI, 348. Terentius ut uidetur nusquam producit, neque tragici. Fluctuat Vergilius. — ***Piger:*** semper producuntur *impigrae pigrum pigraris* I, 410. III, 192. V, 746. 1452. VI, 1132. Schneiderus I, p. 679. huius uocis uocalem natura dicit produci: puto tamen antiquitus correptam fuisse: nam est in Att. u. 31 R. *pigrent* ultimum senarii uerbum, et *pigret* breui *i* Enn. Ann. 405. Porro *nigrai nigrum nigra nigro nigras nigrare nigror* semper longa *i* dixit Lucretius: Pacuuius uidetur corripere, Ennius producere Ann. 465. Corripitur Cat. 43, 2. Hor. Od. I, 32, 11. III, 6, 4. IIII, 12, 11. Verg. Aen. VIII, 353. Senec. Herc. Oet. 938. — *migro* II, 775. III, 757. V, 830. *i* producit, corr. in *remigrant* II, 966. Producit Vergilius. Semper in *flagrare a* producit Lucretius: IIII, 1165. VI, 1168. 1169. Sed *flagrionibus, flagri flagris a* correpta Titinius Laberius Afranius, Vergilius producit. — ***Pl:*** *cataplexis* (⏑ ⏑ – ⏑) IIII, 1163.; *aplustra* corr. II, 555. prod. IIII, 437. Corripit Tullius in Arat. ap. Prisc. 769. P., producit Caesar in Arat. l. l., Luc. III, 585. 672. Silius XIIII, 422. X, 324. — *poplites* IIII, 952. *poplitum* Att. 456 corr., producunt Vergilius Horatius Lucanus. — *duplici* IIII, 1229. V, 279. 879. *duplicis* IIII, 452. *duplicatur* VI, 337. *conduplicantur* III, 71. *u* breui, *duplex* I, 503. *dupliciter* producta IIII, 510. Terentius corripit, praeter Heaut. Prol. 6. Sed ibi Bembinus praebet emendationem *simplici*, quod etiam Eugraphius legit. Corripit porro Plautus, ut uidetur, semper et Naeuius 245. tr. Ri. Vergilius utramque rationem sequitur. — *multiplex* I, 208. III, 207. *i* producit uersu cogente. — ***Pr:*** *capris* IIII, 641. *capripedes* ib. 580. (ā). Plautus aperte corripit Epid. I, 1, 16. Producit, quod mirum est, Terentius in Adelph. IIII, 2, 38 ex Bentl. recensione: sed Bembinus tradit: ***Quónam? Illic ubi etiám caprificus magna est.*** Vergilius et corripit in hisce uocibus et producit. *Caprifice* breui est *a* Prop. IIII, 6, 73. — *apri* (– –) V, 1326. Prisci sine dubio corripuerunt: nam *ápriculum* Ennio in Hedyph. 5 dactylici numeri extorserunt. Ver-

gilius utriusque mensurae exhibet exempla. — *proprius* breui *o* constanter dicit Lucretius. — *supra* et breui et producta *u* Lucretius dixit, *supremus* breui I, 274. prod. III, 595. VI, 92. 1192. ut Catullus 64, 151. Ennius Attius constanter corripiunt; utque uidetur, etiam Plautus et Terentius. Nam in Ter. Ad. II, 3, 11. praestabit cum Faerno legere: *nil póte supra.* Anceps est *u* apud Vergilium et Horatium. Similiter in u. *retro* fluctuat Lucretius: priores, i. e. Terentius Ennius uidentur semper corripere. — *citroque* (⏑ – ⏑) IIII, 32. *citra* (– ⏑) 275. *accipitres i* breui IIII, 1010. — *patris* etc. *patria* etc. corripuit Lucretius, praeter *patria* III, 9. et *quae patribus patres tradunt* IIII, 1222. Terentius in his uocibus *a* nusquam longae syllabae loco posuit, neque Ennius Attius Pacuuius Naeuius Caecilius Turpilius Titinius Afranius Syrus Laberius. Hunc usum etiam Vergilius constanter retinuit: similiter Catullus, nisi quod semel dixit *patrimonium a* longa, 29, 23. Horatius utramque mensuram sequitur. — *balatro* III, 954. *patrare* V, 385. positionem non efficiunt, sed *latrare* II, 17, V, 1066. et *triquetra* IIII, 653. *triquetris e* corripit I, 717, ut Hor. Serm. II, 6, 55. — *putri* II, 860. *putrescunt* III, 343. *u* corripiunt, *putrisque* II, 1145. *putre* III, 584. *putri* 773. *putribus* V, 142. *putrescere* V, 207. *putrefacta* II, 898. producunt, ut *putret* Pac. 340., Att. 56 in fine senarii. — *uterque.* In hoc uocabulo paullo saepius syllaba *utr* producta quam correpta uocali extat. Fluctuat mensura in eodem uersu V, 389. Terentius pro longa hanc syllabam nusquam ponit, pro breui aperte Heaut. II, 4, 14. *utrum* corripit Att. tr. 479. Nusquam porro longae syllabae loco ponunt Naeuius Afranius Laberius Pomponius Caecilius. Horatius mensuram uariat, plurimique eius aequales. — *barathrum* (ă) VI, 606. — *penetrare e* breui semper praeter *penetral* IIII, 613. — Sed ut harum quaestionum summam conficiamus, certam quandam normam ex eis eruamus necesse est. Videtur igitur statuendum, ueteres poetas a nascentibus litteris fere usque ad Ciceronis aetatem mutae cum liquida positioni non tantum tribuisse, ut praecedentem syllabam produceret: posteriores uero qui maximam partem dactylici fuerunt, productionem, ubi uersui conueniret, asciuisse. Lucretius, qui hanc licentiam fortasse inter primos assumpserat, ea satis late usus est: hunc Vergilius sequitur. Qua in re quod Ennius semel *nigrum i* longa dixit, id non dissentit ab exemplis productae in thesi syllabae, quae ex eodem poeta supra collegimus.

Restat ut de positione inter singula uocabula dicamus. Quo in genere nusquam breuem uocalem ante mutam cum liquida, nedum ante *sq st str sp sc zm* poetae admittunt. Castissimus est hac in re Vergilius, qui semel tantum breuem uocalem ante *sp* admisit in Aen. XI 309: *ponite. Spes sibi quisque.* Horatiana exempla omnia ad Sermones pertinent. Lucretiana iam collegit R. Schneideri diligentia in Gramm. Lat. I, p. 705. 711. His adde *miscere zmaragdi* II, 805. Iam ab hac materia proxima nobis proposita est

Cap. IIII. Declinatio.

1. Nominatiuus. — In patronymicis e Graecorum more conformatis Latinam flectendi rationem sequitur Lucretius; itaque III, 1034 dixit *Scipiadas*, et *Memmiadae* I, 26 a *Memmiadas* deriuandum est.

2. Iam accedamus ad genetiuum nominum in *a* desinentium; cuius nominatiuus fuit in *-as*, cf. *parricidas* frgm. XII tab. ap. Fest. s. u. *parrici* p. 221 ed M. *hosticapas* Fest. p. 102 M. Genetiuus igitur primum fuit in *-ais*, quod contractum in *as* apparet in *Alcumenas* ap. Plautum. Cf. Prisc. p. 679. Hinc *familias alias*. *Custodias* teste Charis. p. 83 Sallustius dixit. Restat etiam apud Lucretium, quod Theodorus Bergkius, qua est sagacitate in his rebus, me admonuit, huius uetustioris formae exemplum, a Lachmanno non perspectum: etenim ubique (II, 518. III, 306. V, 472. 476. 839. V, 1362. 1062.) ubi ille scripsit *interutraque*, et oblongus et quadratus et Victorianus exhibent *interutrasque*. Est igitur aduerbium, ut *alias*. Lachmanni sententiam u. in Comm. p. 104. — E *terra-is* elisione litterae *s*, quae latissime patet in lingua Latina, factum est *terrai*, quae quamquam forma in scribendi ratione diu remansit (cf. *Duelonai* in SC. de Bacanal.), tamen sine dubio in dicendo iam antea (cf. Corssen. l. l. I, p. 182.) transiit in *ae*. Cf. Quintil. I, 7, 18. Hanc uetustiorem formam quae poetis concessa erat, neque Ennius neque Plautus adeo in deliciis habuere, ut Lucretius. Suauem ei praecipue in fine uersuum uidebatur referre sonum. Hac forma praeter tria adiectiua (*ferai* VI, 1138. *nigrai* III, 537. *purpureai* II, 52.) non nisi in nominibus usus est. Sunt igitur apud eum saepius *animai materiai aquai naturai uiai uitai terrai flammai*, bis *pilai summai scaenai* semel *amicitiai fugai harmoniai patriai Triuiai parmai no-*

tiliai caueai horaì taedaì Iphianassaì formaì linguaì lunaì guttai irae. Atque etiam nomina masculina hanc formam recipere demonstrat *Geryonai* V, 28. cf. *Calliclai* Pl. Trin. 1183. In ultimis libris minus frequens est in eiusmodi formis, quam in prioribus poeta. Certam legem in eis sibi non proposuit, nisi quod a quinto pede retinuit. Praecipue tamen in fine uersuum hanc formam collocauit, quia ibi neque uulgari uti poterat, et cadere uersus uidebatur numerosius. Accedebat quod ars poetae in uersuum fine pleniores longioresque diligebat uoces. Nam praeter proprium nomen *Iphianassai* I, 82 eae formae quae pluribus quum quattuor syllabis constant, in fine uersuum reperiuntur. Itaque cum fere huiusmodi nomina XC uersum claudant, non plus quam XIII eius initium efficiunt: ceterorum plurima pars reuocanda est ad quartum pedem, sex tantum ad secundum et tertium. In quibusdam autem nominibus adeo hanc formam communi praehabuit, ut e. gr. ter *materiae,* quater et tricies, semperque in desinente uersu, dixerit *materiaì.* — Ea declinatio quae complectitur formas primitiuas in *-u* cadentes, primum genetiuum in *-uos* formauit, cf. *Senatuos* in SC. de Bacan. Antiquum enim genetiui suffixum *-us* medium tenuisse uidetur in pronunciatione inter *i* et *u*, unde postea *-is* factum est. Itaque, cum concursum parium uocalium uitet lingua Latina, ex *-uus -uos* prodiit. Alia forma in *-uis* apparet non multum post illud SC. de Bac.: *fructuis* Cato R. R. I, 2, 19. *anuis* Ter. Heaut II, 3, 46. Hinc uulgaris forma in *us*, quam etiam in neutra huius declinationis cadere demonstrauit G. Freundius in praef. lexici. Hinc per apocopen litterae *s* et elisionem l. *u* explicanda est forma *geli* V 206. VI, 156. 530. cf. *satis fructi* Turp. 12. 87. R. *salti* Att. tr. 435. *soniti* Caec. St. 21. *strepiti* Eun. Tr. 205. *domi*: Nam *domius* testatur Non. 491, 22.; *domui* est ap. Charis. V, p. 252 P. — In *e* declinatio genetiuum primum effinxit in *e-is*, ex qua per elisionem et contractionem oriuntur: *ei, e, i, es*, cf. *dies* in *Diespiter* Gell. V, 12. Macrob. I, 15. *rabies* Lucr. IIII, 1077. *nostrae progenii* Pacuu. ap. Non. p. 490, 4, qui laudat *luxuries, -ii*; *acies, -ii; fide* Hor, Od. III, 7, 4. —

3. Accusatiui character est *m*, uocalis adiungit *e*. In plerisque tamen contractio facta est: *terra-em, terra-m*, etc. Notanda tamen est, praesertim ex prisca latinitate, quae saepissime inter *e* et *i* fluctuat (cf. *nauis nauebos* etc. Col. rostr. *fuet cepit* Inscr. Scip.), forma in *-im*. Haec apud Lucretium,

si codices consulimus, rara est admodum: *sitim* II, 663. *puppim* IIII, 390. *febrim* VI 657. *nauim* seruauit cod. Victor. in IIII, 390. 902. Eis exemplis quae congesserunt K. L. Schneiderus in Gr. II, p. 206 sq., K. L. Struvius in libro de Latin. decl. et coniug. p. 28 sq. addendum est *partim* (Lucr. VI, 88. *aut in utram se Verterit hinc partim*, et VI, 384.), quam formam etiam Livius agnoscit XXVI 46, 8. *partim copiarum ad tumulum expugnandum mittit, partim ipse ad arcem ducit.* Cf. XXXI, 36, 9. XXIII, 11, 11. Ceterum hinc apparet, hanc formam, de cuius finibus nondum satis inquisitum est, non cum Struvio restringendam esse ad nomina in *is*, gen. *is.* —

4. Ablatiui suffixum est *d*, quae primitiuae formae uocis affigitur. Hinc in Col. rostr. *oppugnandod praedad* etc., in SC. de Bacan. *couentionid oquoltod* cet. Sed haec forma a Plauto iam est aliena, neque nisi in pronominis formis *med ted* apparet; cum uero etiam accusatiuum significet (ut Mil. gl. *ted, med* ib. 927. Bacch. 101. Caecil. Stat. 8.), iam tum eius litterae uis non satis perspecta esse uidetur. Vocalis *e ei i* fuit, posteaque inter *e* et *i* fluctuauit; *uirtutei* tradunt Scipionum sepulcra, *coventionid* SC. de Bacan. *sub montei* Enn. Ann. 420. Va. Ceterum certis finibus ablatiui in *i* usus nondum circumscriptus est, cf. Struv. l. l. p. 31. Nos Lucretiana exempla, quae non pauca sunt, enotabimus. *bili* IIII, 664. *colli* II, 317. 326. quae forma Lucretio propria est, *fini* I, 978. cf. Cat. R. R. 21, 3. 28, 2. Gell. I, 3, 30. VII, 3, 29. Papin. Dig. XVI, 2, 19. *igni* I, 490. 926., quae forma fere non rarius quam *igne* reperitur, cf. Schneid. Gr. II, p. 229. *lapi* I, 883 ex Bergkii coniectura, cf. Enn. ap. Prisc. p. 708. Nam *lapidi* quod libri tradunt, nusquam aliter reperitur; *naui* IIII, 387. *orbi* II, 543. V, 75. et saepius, *tussi* IIII, 1167. *sordi* VI, 1271. *luci* IIII, 285. *imbri* VI, 266. *parti* I, 1111. III, 610. IIII, 515. VI, 721. *labi* V, 930. *mucroni* II, 520. *rationi* VI, 66. Io III. 734. codices exhibent *mala multa animus contage fungitur eius.* Hic Lachmannus adnotat, ita scripsisse Lucretium non esse ueri simile, quoniam eundem ablatiuum corripuerit in IIII, 311. Sed cur *contage* (– – –) dicere non potuerit poeta non uideo, cum *ratione rationi, parte parti, mare mari, partem partim, mucrone mucroni* alia uariantia dixerit. Itaque non opus est mutatione in *contagibus.* Cf. Goebel. in Mus. Rhen. Tom. XV. (1860) p. 406. Sic est *tabe* spondeus I, 806. — Similiter in Graecis nominibus *i* productam in ablatiuo admisit Lucretius: *tripodi* I, 739. *croco*

Cilici III, 416. *Heliconi* III, 132. — *mare* in ablatiuo est I, 161, quae admitti debebat forma, ne creticus existeret, post praepositionem *e*. Cf. Ou. Trist. V, 2, 20. *de mare* et ex Ponto IIII, 6, 46. — Ex adiectiuis memorandae sunt ablatiui minus usitati: *simplice* I, 1012. *dili* I, 413.

5. Pluralis Nominatiuo character est *s*, uocalis adiungit *e*, in masculinis et femininis. *S* remansit in tertia quarta quinta declinatione, excidit in duabus prioribus. Ex *terraës* factum est *terrae*, ex *populoes populoe:* ita est ap. Festum p. 205 M. *pilumnoe poploe*. *S* in pronomine paullo diutius remansit: quod testantur huiusmodi uerba *ques sunt es? Ignoti, nescio ques ignobiles* Pac. Tr. 221. R. cf. *quesdam* Att. Tr. 477 R. In SC. de Bac. et *ques* et *quei*. Legimus porro in Plaut. Trin. 877. *hisce homines*. Sed abscisa *s* fiebant formae *tabelai datai* SC. de Bac., et *ploirume* in Tum. Scip. Quod Lucretium attinet, in III[a]. decl. in nonnullis uocibus nominatiuus per *is* scribitur, quod explicandum est ex uetere orthographia *eis*, quae sonum inter *e* et *i* medium uidetur significasse. Exempla, quae etiam apud Plautum deprehenduntur, quod Lucretium attinet, collegit Lachmannus in Comm. p. 56. De ipsa scriptura cf. Varr. L. L. VIII p. 440.

6. In genetiuo pluralis Hartungius De casibus p. 254. primitiuam formam censet esse *εσων erum;* liquidam in ea declinatione, quae uocali suffixa non adiungat, elisam, in ceteris seruatam esse. Probabilius certe quam Hermannus, qui liquidam reuocat ad Graecorum digamma in *ΜουσάFων*. Poetae hasce formas praecipue in longioribus uocibus et patronymicis asciuerunt, Lucretius in his: *agricolum* IIII, 586. *consanguineum* III, 73. *squamigerum* II, 343. *montiuagum* II, 1081. *Chaldaeum* V, 727. *Danaum* I, 86. *Aeneadum* I, 1. *Graium* II, 600. IIII, 405. VI, 754. semel *Graiorum* I, 137. *Molossum* V, 1063. Praeterea has formas poetae amant in quibusdam usitatissimis nominibus, ut *uirum deum diuom humanum* V, 1156. Rarior est forma *ecum* V, 886. — In III[ae]. declin. gen. pl. qui certis finibus usum suffixorum *ium* et *um* circumscribere aggressi sunt, inde a Prisciano p. 770—773. plurimis exceptionibus locum concedere debuerunt. Atque hae formae quanto opere fluctuauerint, iam eo perspicitur, quod in multis duplex forma usu recepta fuit, cf. K. Schneid. Gr. II, p. 242 sq. In dactylicis poetis adnotandum est, in participiis quae in *ens* cadunt atque in adiectiuis ubi suffixo producta syllaba praece-

debat, formam in *um* praehabuisse, cum altera ante consonantem ne uti quidem possent. Itaque iam Ennius dixit in Ann. 413. *induperantum*. Multa huius modi exempla unus Lucretius exhibet, *amantum* IIII, 1077. V, 962. *animantum* I, 4. 194. 416. II, 77. *canentum* IIII, 587. *infantum* V, 810. *parentum* I, 598. *salientum* IIII, 1200. *sapientum* I, 598. *uidentum* II, 422. *meantum* I, 319. *salutantum* I, 319. *carentum* IIII, 35. *uolantum* II, 1083. *uenantum* IIII, 999. Addo *caelestum* VI, 1274. Monosyllabis quae congessit K. Schneid. II. p. 254 sq. addendum est ex Ennio a *pars partum*. ap. Charis. I, p. 64 P. quod Caesari idem adscribit p. 114 P. — Singularis quaedam forma est gen. pl. *alituum* ab *ales*, quo usus est Lucretius ubique ante consonantes, ut creticum euitaret II, 928. V, 801. 1039. 1078. VI, 1216. et Verg. Aen. VIII, 27. Ammian. XVIIII, 2. Eandem ob causam Ennius elisionem neglexit in Ann. 336. Va. *Insignei ta fere tum milia militum octo*. Schneiderus cum hac forma confert *mortuus* pro *mortus*; Bergkius uir doctissimus, quem honoris causa nomino, conferre iubet Homericas formas ὀρόωσα etc. Atque certe nil nisi numeri hanc formam insolitam effecerunt.

7. Venimus ad datiuum et ablatiuum pluralis, quorum character primum fuit *bus bis* per uocalem primitiuae formae adiunctus. Ad huiusmodi formas etiam I^ae^. et II^ae^. declinationis dat. et abl. plur. reducendos esse apparet ex formis in *abus* (Schneid. II, p. 26 sq.) et *diibus* pro *dis* Inscr. Orell. 2118. 4608. *dibus* ib. 1307. 1676. Hac quoque in re pronomina seruarunt diutius primitiuam formam: cf. *quibus quis*, *hibus* (Mil. gl. 75.), *his*, *ibus* (Lucr. II, 88.) et *iis eabus* (Cat. R. R. 152.) et *eis*. Contrarium factum esse uidetur in *uxoris* pro *uxoribus* Turpil. ap. Chasis. IIII, 246. P. V, 253 P. *nulla poena acerbior Excogitari poterat uxoris malis*. Quod adde exemplis a K. Schneid. collectis II, p. 267 sq. cf. *tragicis uersis* apud Prisc. VI, 2. p. 679 P. ex Valerio.

8. De ea scribendi ratione, quam in accus. plur. III^ae^. declinationis secutae sunt membranae Leydenses, confer Lachm. Comm. p. 50. Victorianus ab his dissentit. —

9. Iam per saturam nonnulla minus usitata enotemus.

Iter primitiuum facit genetiuum *iteris* Naeu. Tr. 38. Pac. inc. fab. LVI. Att. tr. 627.; hinc *itere* Lucr. V, 653. Att. tr. 499. Nominatiuus *itiner*, a quo uulgaris genetiuus originem duxit, reperitur in accusatiui forma Lucr. VI, 338. Enn. Tr. 292. Att.

tr. 457. Pac. Tr. 45. 121. 226. Plaut. Merc. V, 2, 72. — *Sanguen*, ut fere semper Ennius, Lucretius dixit I, 837. 853. 860. In lexica referenda est etiam forma ablatiui *sangui* Enn. Tr. 18 Ri. Neque tamen, ut credebat uetus Gifanius in Collectaneis Lucretianis s. u. *sanguis*, *uermina* V, 997. pro *uermes* dictum est. Sic dolorem quendam corporis appellatum esse docet Festus p. 375. — *uis* in accus. plur. exhibet Lucr. II, 586. III, 265., ut Sallust. in frgm. ap. Prisc. p. 707. et Messalla ap. Macrob. Sat. I, 9. — *uas* secundaria utitur forma, quae apparet in gen. *uasi* V, 232. et abl. pl. *uasis* VI, 231. — Porro in quibusdam nominibus duplicem formam hic poeta assumpsit: dixit *amicitia* et *amicities* V, 1019. Charis. p. 94 P. *notitia* et *notities* V, 182. 1047. *notitiem* IIII, 479. cf. Vitr. VI, prooem. *effigies* et *effigia* IIII, 85. 105. ut Plaut. Rud. II, 4. 7. Afran. ap. Non. 493, 2. — Iam semel *uulta* IIII, 1212. dixit, ut Enn. Ann. 536. *uolta*. — A metro coactus poeta *impetis* VI, 327. et decies quater *impete* dixit, sed *impetus impetibus*. Hae formae non nisi dactylicae poesi uidentur deberi. — Postremo et *niues* usurpauit VI, 964., et *ningues* VI, 736., ut Lucil. ap. Charis. p. 71 P. *aplustrum* Lucretius solum agnoscit: unde *aplustris* IIII, 437. *aplustra* II, 555.

10. His pauca de genere nominum adiungamus. *Aeuum*, ut Graecorum *αἰὼν*, duobus in locis pro mascul. usurpauit II, 561. *aeuum debebunt sparsa per omnem* et III, 605. *non modo non omnem possit durare per aeuom*. Quod confirmatur uersu Plautino in Poenulo V, 4, 14. *per quem uiuimus uitalem aeuum*. — *finis* Lucretio semper est femininum, nisi quod II, 1116. *ad extremum .... finem* codices exhibent. Quod nomen ubi *ὅρος* significat, semper masculinum esse, merito animaduertit Schneid. II, p. 101. cf. Caecil. Stat. 100. *ad patrios fines*. — *cinis* fem. est IIII, 926. Deinde, apud hunc unum (cf. Prisc. p. 652.) *funis* II, 1154. (*aurea de caelo demisit funis*). Porro *cortex* est femininum IIII, 51., de quo uerbo u. Quint. I, 5, 35. — *Silex* masc. gen. sequitur: I, 571. II, 449. V, 313. *Grex*, teste Charis. p. 72. et Non. p. 80., femin. est II, 662., quod addendum Schneid. II, p. 110. *animans* ap. Lucr. tum masc. est, tum fem., ut ap. Ciceronem, cf. Uniu. 10. ib. 11. N. D. II, 47. Leg. I, 9, 26. *uepres* fem. IIII, 60. Prisc. p. 658.

11. Adiectiuorum paucorum rariores formas usurpat Lucretius *inermis*, *inerma* II, 1292. Caec. 67. cf. Cic. Fam. XI, 12, 1. *sterilis* et *sterila* II, 845. *sterilam* laudat Festus p. 316. *su-*

blima sublimo sublimas Att. tr. 563. 576. Enn. Tr. 2. R. *hilaro* II, 1122., semper *exanimus*.

12. De pronominibus non multa adferenda sunt. Vetus forma *sus* pro *suus* non apparet apud Lucretium nisi in uersu deprompto ex carminibus Ennii, cui hae formae familiares sunt, III, 1025. E. Ann. 150. Neque Lucretii tempore pronominis *is ea id* huiusmodi formae uidentur uiguisse ut *sum* Enn. Ann. 102. 165. *sam* 228. *sos* 22. 152. 261. 358. *sas* 103. pro *eum eam eos eas*. At formam *ibus* II, 88. IIII, 934. e librorum uestigiis licet cognoscere. VI, 755. haec forma nititur incerta Lachmanni coniectura. *Eis* uel *iis* duabus syllabis Lucretius nusquam dixit, sed *iis* monosyllabon libri aliquotiens exhibent (Lachm. Comm. p. 262.). In his locis quo iure Lachmannus constanter *his* contra librorum auctoritatem scripserit, causam quaerimus. Certe Ennius non solum in Ann. 279 Va., sed etiam in Praec. 3 V. *is* dixit, et Pacuu. Tr. 24. Ennius etiam *eis* dixit in Trag. 359. priore breui. Horatius *idem isdem* dixit, nunquam *iidem iisdem* per tres syllabas. Sed Lucretius cur utramque formam uitaret, rationem non perspicimus. — Pronomen *illic*, ortum ex *ille-ce*, Lucretius usurpasse uidetur, ubi uulgaris forma *ille* uersum non expleret, ut IIII, 1059. *hinc illaec; primum*, et recto casu IIII, 1083. *rabies hinc illaec germina surgunt*. In utroque loco peccarunt libri. Hoc pronomen Plauto Terentio Ennio ueteribusque tragicis et comicis familiare post Lucretium uix usquam reperitur. — Veterem pron. *ille* formam quae *o* asciscit in prima syllaba, Ennius et Lucretius non nisi in iis formis usurpant, quae in *i* cadunt: neque dubium uidetur, quin euphoniae per hance formam studuerint: *ollis* est Lucr. I, 672. II, 64. IIII, 177. V, 1291. 1390. VI, 208. Enn. Ann. 307. Carm. fr. Aru. 25. V. *olli* nom. pl. Enn. Ann. 544. 604. dat. sing. Ann. 34. 122. Verg. Aen. V, 197. Comici ab hac sollemni forma sese continuisse uidentur, neque debebat Ribbeckius Afranio in Tog. u. 67. contra libros hanc inculcare. Veteres sane teste Varr. L. L. VII. §. 42. *ollus ollae* dixerunt, est praeterea *olla* ap. Cic. Legg. II, 9. in uetere formula et *olorom* in Col. Rostr. Ceterum ut *ipse* ex *ipsus*, ita *ille* ex *ollus* factum esse uidetur. *Ipsus* Lucretius non nouit. — *Alius* sine dubio antiquitus etiam in singul. II^{am}. decl. sequebatur: gen. *alii* est Catonis ap. Prisc. 694 P. Varro R. R. I, 2. gen. *aliae* Lucr. III, 918. dat. *alio* Lucr. I, 681. (nam *adtribuere* nusquam non cum dandi casu construit); *aliae* Plaut. Mil. III, 1, 206. — Ad alteram for-

mam pertinent *alid* I, 263. 407. 1115. V, 257. III, 970. V, 1304. 1456. Catull. 29, 16. *alis* Catull. 66, 28. Lucretio proprium est *ali* dat. IIII, 637. ex coni. Lachm., VI, 1227. *alis* merito reiecit Lachm. Comm. p. 249.

Hinc proxime agendum est de

Cap. V. Coniugatione.

1. In uerbo auxiliari Lucretio familiares sunt priscae formae *siem sies siet*, et *fuat* II, 383 ex certa Bentleii coniectura, et IIII, 637. Quod mensuram harum formarum attinet, mira est correptio litt. *i* in *simus* ap. Titinium u. 2 R. *prius quam auro priuatae, purpuramque aptae simus.* Nam ueteres poetae non ita longarum syllabarum correptioni quam breuium student productioni. Suetonius (Aug. 87.) narrat Augustum pro *sumus simus* dixisse: cuius moris exemplum ille uersus complecti uidetur.

2. Veteris infinitiui passiui forma in *-ier* satis familiaris est Lucretio; quae praecipue apta uidebatur ad quintum pedem explendum; huc igitur maxima pars pertinent exemplorum: *amplectier* V, 729. *celarier* I, 905. *cohiberier* III, 443. *conuertier* I, 796. *corrumpier* VI, 18. *cunctarier* III, 67. *denserier* I, 647. *differrier* I, 1088. *explerier* VI, 21. *gignier* III, 623. *iactarier* VI, 556. *imitarier* V, 1379. *inpellier* VI, 1060. *indignarier* III, 870. *mirarier* II, 1029. *molirier* V, 934. *mutarier* I, 803. *obnitier* IIII, 437. *proferrier* I, 207. *pulsarier* III, 934. *reperirier* IIII, 480. *secernier* III, 263. *uertier* I, 710. VI, 29.. In V, 166., cum ultimum uocabulum quintum sextumque pedem efficiat, in quarto pede est *largirier emolumenti.* Reliqua exempla ad primum pedem pertinent: *credier* IIII, 852. *labier* III, 445. *mittier* IIII, 43. *nitier* I, 1059. *tundier* III, 934. *uoluier* V, 716. Prorsus insolita est uerbi collocatio in V, 1312. *qui moderarier his possent.* Ex talibus maxime apparet quanto opere in huiusmodi minutis rebus certam quandam artis normam secutus sit Lucretius. —

3. Imperfectum in *-iebam* a ueteribus in *-ibam* saepissime contrahebatur, ut *scibam* V, 934. 949. *saeuibat* V, 1003. *accibant* V, 996. *hauribant* V, 1324. *poenibat* VI, 1240. In his omnibus poetam uersus cogebat necessitas: nam ante *sciebant* correptam uocalem ars uetuit collocare. — Eadem coniugatio antiquitus futurum formabat in *-ibo.* Exemplis a Struuio l. l. diligenter conquisitis adde *congredibor* Pl. Most. 782. *quibo*

Pac. Tr. 154. — In perfecto reduplicationem ex Graecae linguae more primum fuisse ex uoc. *e* praecedente uerbi prima consonante pluribus exemplis confirmatur: ***tetuli*** Lucr. VI, 672. cf. Enn. Ann. 57. Tr. 274 V. (has enim omisit poetas Struuius p. 160.). —

4. Iam hinc transeamus ad ea uerba quae diuersarum coniugationum formas exhibent (cf. Struu. l. l. p. 182 sq.). Huc pertinent: ex tertia coniug. ***sonere*** III, 156. 873. alias ***sonare***. Illa forma etiam Ennio Attio Pacuuio familiaris est. *lauere* V, 950. VI, 800 ex Lachmanni coniectura. Hanc formam unam agnoscunt Lucretius Ennius Titinius Afranius Pomponius Laberius Naeuius Attius: Terentius etiam *lauare* dixit. — ***stridere*** VI, 149. — *feruere* II, 41. VI, 442. ***efferuere*** II, 928., secundum III^{am}., nunquam *ferueo,* neque Attius Pacuuius Naeuius Titinius, Afran. Pompon. Terentius. Hanc rationem mirum est uitiosam dicere Quintil. I, 6, 7. — Lucretium et *fulgeo* et *fulgo* dixisse, iam supra uidimus. — Ita et *tueri* et *tui* dixit (*tuimur* I, 300. IIII, 424. 449. VI, 934. *contuimur* IIII, 39. ***tuantur*** IIII, 362. 1004. ***tuere*** (ĕ) V, 318. Alia Struuius in indiculo suo (p. 192.) omisit: et ***densare*** et ***densere*** dictum est: Lucretius II^{am}. coni. sequitur, nisi quod V, 491. ***densabant*** uterque codex exhibet. ***scatere*** sec. III^{am}. V, 40. 898. 952. VI, 891. 896. frg. inc. tr. 137 Rib. ***boere*** sec. III^{am}. (***bount*** Pac. 223. Varro ap. Non. 79, 4. ***boare*** Enn. ap. Varr. L. L. 7, 5, 100. — Seorsum spectandus est III^{ae}. in quartam coniugationem transitus. In iis enim uerbis quae ex harum utraque tempora formauerunt, rariores quaedam formae a recepto usu deflectunt: *sancitum* I, 587. participium, non ut dicit Struuius, supinum. *cupiret* I, 72. ***cupitus*** Enn. Ann. 49. *cupita* Tr. 337. ***potitur*** (ĭ) II, 653. Enn. Ann. 78. *poti* id. Tr. 260. Praeter haec, quae etiam Struuius laudat, notanda sunt *effugiri* Syr. Sent. 815. ***opposiuit*** Caec. 105. ***pellicere*** Lucr. V, 1005. ***pelliciat*** VI, 1001. ***pinsunt*** Enn. Ann. 354. ***pinsibant*** Trag. 435 V. — Ita ***dementare*** est apud Lactantium Mort. Pers. 7. praeter uulgarem formam *dementire* Lucr. III, 464. —

5. Hinc iam ueniamus ad singula uerba irregularia aut defectiua, Lucretiique in his usum ueterumque. — ***coepisse*** semel apud unum Lucretium apparet in genuina forma ***coëpit*** a ***coapio***, ut semper ***coërceo,*** IIII, 619. — ***fingo*** uetus format participium ***fictus*** Lucr. III, 4. Varro R. R. III, 7, 4. ***sagittis confictus*** e Scauro laudat Diomed. p. 373. Participium ***perfixus***

nullum alium habet auctorem quam Lucretium VI, 392. — *gigno* secundaria quaedam apud ueteres forma utitur: *geni genantur* Lucr. III, 797. IIII, 143. — *intellego* apud unum Lucretium (VI, 17.) perf. facit *intellegit. neglegi* Struu. adfert. p. 254 ex Diomed. p. 366. — *metutus* partic. regulare uerbi quod est *metuo* unus Lucr. seruauit V, 1139. — A uerbo q. e. *mactare* deriuandum esse dicunt quod legitur in V, 1339 *boues lucae ferro male mactae Diffugiunt.* Vix tamen adducimur ut formae prorsus exemplis carenti fidem habeamus, insinuatque sese mendi suspicio. Fortasse erat a poetae manu *ferro male fractae Diffugiunt.* — Verbi *memini* forma *memmero* Plaut. Bacch. 330. in lexica referenda est. — *possum* aperte ortum est ex *potis sum* quod uetustioribns poetis familiare est omnibus (Lucr. I, 452. V, 1 etc.) Neque non omittitur *sum*, ut *potis pote* pro *possum* dicatur, cf. Lucr. III, 1079. *nec deuitari letum pote, quin obeamus.* Raro occurrit *potissit* SC. de Bac. *potisit.* Lucr. V, 881. *potesset* est Pl. Mil. 884. *potesse* Lucr. I, 665. II, 225. 1010. *potestur* III, 1010. Pac. 100. Quadrig. Non. 508, 30. Lucretius priscioris formae ultimus auctor esse uidetur. — *queo* et a prioribus (*queantur* Att. 664. *quitus sum* 662.), et a Lucretio in passiua forma usurpatur: *queatur* I, 1041. —

Cap. VI.

Iam ad uerborum compositionem nos institutus deduxit ordo. Haec enim non minima pars est artis Lucretianae; neque dubitari potest quin is qui adeo aegre tulerit *patrii sermonis egestatem,* linguae fines dilatare sit conatus. Nos, quoniam longius hac de re exponere spatium prohibet huic commentationi concessum, eas uoces componemus, quae aut unus aut primus usurpasse uidetur Lucretius: ex quibus illas asterisco ab his distinguemus.

Substantiua: **adauctus* V, 1330. **adaugmen* VI, 613. **adhaesus* III, 382. IIII, 1238. VI, 472. *adiectus* I, 689. IIII, 673. (Vitruu.) **aedituens* (*aedituus*) VI, 1274. **aegror* VI, 1131. **amicities* V, 1018. *augmen* saepius; apud Arnobium VII, p. 231. lectio dubia est. *magni augminis coluber* est Arnob. VII, p. 249. **auxiliatus* V, 1039. **circumcaesura* III, 220. **clinamen* II, 292. **commutatus* I, 795. *compositura* IIII, 329. Sinn. Cap. — **conciliatus* I, 756. II, 99. 133. 936. *con-*

cussus VI, 290. 547. *conlectus* IIII, 414. (Frontin.) **contages* III, 734. IIII, 337. VI, 279. 1242. *coactus* II, 273. Cicero bis, semel Caesar. **coortus* II, 1106. VI, 672. **desipientia* II, 499. *differitas* IIII, 640. Bis Arnob. **disiectus* III, 941. **dispositura* V, 193. **documen* VI, 392. **duramen* VI, 530. **eiectus* IIII, 960. **emissus* IIII, 206. **exesor* IIII, 221. VI, 927. **frustramen* IIII, 818. *glomeramen* II, 454. 686. V, 725. Semel Seren. Sammon. **haustrum* (*ἄντλον*) V, 517. Non. 13, 5. **insile* V, 1352. **intactus* I, 455. **lateramen* VI, 233. **lauabra* (pl.) VI, 799. **linctus* VI, 971. ex coni. Lachmanni quae tamen ualde dubia est. **luella* (*poena*) III, 1015. **mactatus* I, 99. *maximitas* II, 495. Arnob. sem. **mouimentum* (*anni mouimenta notanda*) VI, 374. exhibet Victorianus codex, de cuius auctoritate alio loco dicendum erit. **necessum* substant. II, 289. genetiuum *necessis* Lachmannus posuit VI, 815., ubi codices Leydenses: *quos opere in tali cohibet uis magna, necessest.* Victorianus idem exhibet, sed supra *necessest* scriptum est a correctore *uacare.* Hinc licebit de corruptela suspicari. Certe hoc loco praestabit eam formam usurpare, quam II, 289 Lucretius praebet: *necessum;* scribendum igitur uidetur: *quos opere in tali cohibet uis magna necessi.* — *nixus* saepius, quod a membranis saepe cum uoce *nisus* confunditur. Apud Quintil. VIII, 4, 9. nunc recte *nisu* legitur. Cf. praeterea Verg. Georg. IIII, 199. Ou. Her. IIII, 125. Gell. XII, 1. — **obortus* IIII, 219. *offensus* quinquies. Cf. Tertull. adu. Marc. IIII, 39. Stat. Theb. XII, 283. **opinatus* IIII, 466. *oppressus* I, 851. Sidon. Ep. VIIII, 11. **pestilitas* VI, 1097. 1124. 1131. *proiectus* III, 987. Plin. XVII, 11, 19. *petitus* (*lapsus*) III, 173. Gellio XVIII, 3 est *desiderium, rogatus.* **refutatus* III, 524. **retinentia* (*recordatio*) III, 675. **stringor* III, 693. **summatus* V, 1141. **subortus* V, 303. **transpectus* IIII, 273. **uariantia* I, 653. III, 319. **uexamen* V, 340. (*conquassatio*). *uocamen* II, 66. Arnob. IIII, 128. VII, 251. Solin. 5 med.

Adiectiua: *aerumnabilis* VI, 1230. Apul,. Met. I, 1. 8. **anguimanus* II, 538. V, 1302. **auctificus* II, 572. *auersabilis* VI, 984. Semel Arnobius. **barbigerus* V, 898. VI, 971. **caecigenus* II, 241. *capripes* IIII, 582. Semel Hor. et Propertius. **creteus* IIII, 298. **diffusilis* V, 468. *exicialis* VI, 566. Cicero Verg. sem. **fluctifragus* I, 306. **frugiferens* I, 3. **frugiparus* VI, 1. Auien. sem. *glandifer* V, 939. Cicero Legg., I, 1, 2. **innubilus* III, 21. **innumeralis* II, 1086. **inolens* II, 850.

**insensilis* II, 866. 870. 888. **intactilis* I, 455. *inuiolabilis* V, 306. **lauricomus* VI, 152. **labiosus* IIII, 1165. **largificus* II, 618. **leuisomnus* V, 862. **loquaculus* IIII, 1161. **mactabilis* VI, 806. **manabilis* I, 535. **multesimus* (*multissimus* Victor.) VI, 652. cf. Noni. 136, 13. (*multesima* pars πολλοστὸν μέρος). **pennipotens* II, 878. pro substantiuo V, 789. ut *squamigeri* I, 372. 378. pro *pisces*. **perdelirus* I, 693. *primigenus* II, 1106. Auien. Arat. 13. **principialis* II, 423. V, 247. **sensifer* II, 240. 245. 272. 379. 924. **sensilis* II, 888. 893. 895. 902. **suauidicus* IIII, 180. **siluifragus* I, 276. **tabificus* VI, 737. (*tabificabilis* Att. tr. 421.) **tactilis* V, 152. **terriloquus* I, 104. **tonitralis* I, 1105. **tripectorus* V, 28. **uitigenus* V, 15. VI, 1071.

Iam enotemus nonnullos participiorum comparatiuos: *contractior* V, 570. haud rarum est, sed **distractior* IIII, 961. *distractissimus* habet Velleius II, 114, 1. — **dominantior* IIII, 397. VI, 238. — **diuisior* IIII, 961. — *cunctantior* III, 193. (actus mellis). De hominibus est ap. Plin. Epist. VIIII, 13, 6. II, 16, 4. Sueton. Caes. 60. — **superantior* V, 394. *superantissimus* Solin. II, med.

Verba. In his magis etiam quam ceteri prisci poetae Latini Lucretius in deliciis habuit adque artem pertinere putauit inchoatiua et frequentatiua. Haec igitur seorsum spectemus.

Inchoatiua: *albescere* II, 773. *ardescere* IIII, 1090. **aborisci* V, 733. **aegrescere* IIII, 833. *candescere* I, 490. *clarescere* I, 1116. V, 833. 1456. *dilucescere* V, 176. *ditescere* IIII, 1253. V, 1249. Hor. Sat. II, 5, 10. **flammescere* VI, 669. **generascere* III, 745. *grauescere* IIII, 1069. **haerescere* II, 477. IIII, 742. *hebescere* III, 359. *inhorrescere* VI, 1195. *inueterascere* IIII, 1068. *languescere* V, 769. *mollescere* V, 1014. *liuescere* III, 527. *obbrutescere* III, 545. *patescere* V, 349. 614. *pinguescere* V, 899. *percalescere* VI, 281. **renidescere* II, 326. **sentiscere* III, 392. IIII, 586. **serescere* I, 306. *spissescere* VI, 176. Semel Celsus V, 27, 4. **tardescere* III, 194. **torrescere* III, 890. *tremescere* VI, 548. *uuescere* I, 306. Hor. Serm. II, 6. 40. *uigescere* I, 674. (codd. omnes *uirescat*). 758. *ualescere* I, 942. IIII, 17. *uiuescere* IIII, 1138. — Praeter haec, quae sunt numero XXXII., apud Lucretium XXVII. alia occurrunt huiusmodi uerba.

F r e q u e n t a t i u a: *circumuolitare* II, 329. (*peruolitare* VI, 952.) **clarigitare* V, 947. quod deest in lexicis. *contractare II, 853. VI, 854. **disiectare* II, 553. 562. III, 501. **discrepitare* II, 1018. III, 803. VI, 1105. *dissultare* III, 395. 569. *fluitare* III, 1052. IIII, 442. *nominitare* V ies. Semel *nominare* I, 695. *nominitare* praeterea non reperiri uidetur nisi in Inscr. ap. Mur. 1522, 2. *nixare* III, 1001. IIII, 506. *offensare* II, 1059. **perfluctuare* III, 721. **persectare* IIII, 1010. *reiectare* II, 328. praeterea sem. ap. Spart. Anton. 12. **transuolitare* I, 355.

Hinc cetera uerba sequantur: **adopinari* IIII, 814. *aegrere* III, 836. **ancidere* III, 660., quod deest in lexicis. **apparere* (ĕ) II, 1110. **arefacere* VI, 963. *assugere* IIII, 1190. **baubari* V, 1070. **cinefacere* III, 919. **conlaxare* VI, 233. *concruciari* III, 148. **condensere* I, 393. **condurare* VI, 968. *conferuefacere* VI, 353. **decellere* II, 219 ex coni. Lachm. *depellere* omnes codd. **deplecti* V, 1321. **diluuiare* V, 387. **disserpere* V, 547. **egigni* II, 703. *inanire* VI, 1004. 1023. Plinius. *interuomere* VI, 895. *minare* VI, 563. codices: *inclinata minent (extructa domorum) in eandem prodita partem; minant*, quod est in marg. Victor., confirmatur testimonio Prisciani p. 799. *meant* Lachm., *abeunt* Bernays. scripsere. **munificare* II, 625. **obretire* III, 385. **perfluctuare* III, 721. **perolere* VI, 1154. **perplicare* III, 304. **pertolerare* V, 317. **pertorquere* II, 401. **perualere* VI, 917 codd. **praespargere* V, 738. **rarefacere* I, 648. II, 1139. III, 442. VI, 870. **reconflari* IIII, 928. **redhalare* VI, 523. **remanare* VI, 636. V, 270. **trauiare* VI, 349. **uiuatus* III, 410. 557. 680.

A d u e r b i a: *adumbratim* IIII, 364. **almoderate* II, 169. **blanditim* II, 173. **consequë* V, 679. (coni. Lachm.) **contrectabiliter* IIII, 662. *duriter* V, 1402. Semel Vitruu. **filatim* II, 831. *fluenter* IIII, 225. VI, 935. Sem. Appul. **genitaliter* IIII, 1254. *graualim* III, 388. Liuius semel. **horrifice* II, 610. IIII, 40. **innumerabiliter* V, 275. *insatiabiliter* III, 920. VI, 979. Plinius Lactantius. **insedabiliter* VI, 1176. **longiter* III, 676. **mixtim* III, 565. **moderanter* II, 1096. **moderatim* I, 324. **perhilum* VI, 576. **permananter* VI, 917. **praecipitanter* III, 1076. **praemetuenter* III, 825. **praeproperanter* III, 780. **propritim* II, 975. **uniter* III, 839. 846. V, 537. 555. 558., semper in fine uersus, ante *aptus*. **uitaliter* V, 146.

Cap. VII.

Iam nunc restat ut in fine commentationis exponamus de uersuum Lucretianorum compositione.

Atque hic poeta, ut fuit in eo egregia quaedam et praeclara indoles ad artem poeticam exercendam, ita etiam uersus ad certae regulae seueritatem effinxit. Qua in re elaboratam quandam concinnitatem uel magis quam Vergilius in Aeneide et secutus est et consecutus.

Ac primum quidem de synaloephe, quod hunc poetam attinet, Lachmannus disputauit in Comm. p. 71 et p. 158—164. Ennius et in hexametris a uocabulorum iambicorum elisione prorsus se retinuit, et in tragoediis: nam in *vide húnc* 272 R., *e* etiam corripi potest. In *boni est* 354 R. autem uocula *est* littera *e* suppressa cum praecedenti uerbo coalescit. Eandem legem Afranius in iis qui memoriam tulerunt circa 425 uersibus obseruauit. Pacuuius et Attius et in correptam uocalem et in productam, Publius Syrus non nisi in productam iambos eliserunt. Addendum est de Lucretio, hunc numquam uocem aut creticum efficientem aut in creticum desinentem elidi passum esse in correptam uocalem. — Monosyllaba breuem uocalem continentia raro cum correptis uocalibus collidit Lucretius. Tres tantum huius rei uersus praebent exempla: II, 859. *cetera; quae cum ita sunt tamen ut mortalia constent*. Concedo mihi *tamen* in his uerbis prorsus inutile uideri neque scio an ea uox mendo quodam orta sit atque scribendum *cetera; quae cum sunt ita uti mortalia constent.* Reliqua exempla extant III, 159. et VI, 1215. Saepius, id est octies, cum producta uocali copulauit breuia monosyllaba: IIII, 1180. ubi Lachmannus dedit *iam ammissu*, scribendum uidetur *iam missu*, cf. Vergil. Aen. VII, 750 et Caes. B. G. V, 27. — Cum producto monosyllabo correptum copulatur per synaloephen I, 150. II, 54. 812. III, 101. V, 337., non saepius. — Longae monosyllaborum uocalis in breuem quod attinet elisionem, in I, 185. nescio an sequenda sit codicis Victoriani auctoritas, qui tradit: *seminis ad coitum ex nihilo si crescere possent,* cum Leydd. exhibeant: *si e nilo crescere possent.* — Satis denique frequens est producti monosyllabi in producta uocali elisio. — At hac in re non est silentio premendum, poetam, quem uidimus rarissime breue monosyllabum cum correpta uocali copulasse, eam ob causam non semel elisionem maluisse neglegere: hinc *simul cum eo* VI, 295.

sed dum abest III, 1082. *sunt cum odore* II, 681. *et quam in his* III, 394. In uniuersum autem statuendum est poetam qui fuit auribus teretibus et religiosis, quantum fieri poterat, productarum syllabarum elisionem effugisse, praecipue in his uersibus quos accuratius et limatius composuit, ut singulorum carminum prooemia eosque locos quibus delectare potius legentes uoluit quam docere. Atque ea in re cum multo cautius et uerecundius uersatus sit quam plurimi alii, canorum quendam atque nonnumquam suauem uersuum numerum adsecutus est. Neque tamen ab hiatu prorsus refugit: numquam autem eo usus est in arsi, sed ubique priorem uocalem corripuit, ut saepissime Homerus (Il. VIIII, 105. οἷον ἐγὼ νοέω ἠμὲν πάλαι ἠδ᾽ ἔτι καὶ νῦν): *qui in orbi* V, 74. *quae amara* II, 404. IIII, 1061. *si abest* IIII, 1061. *si odoratast* VI, 795. *nam si ut ipsa petit* V, 7. *quo Auerna* VI, 740. *qui in oras* II, 617. *qui etesiae esse putantur* VI, 716., cf. Cic. Orat. 153. *remigi oblitae* VI, 743. — Iam ueniamus ad eum locum qui est de caesura. Atque maximam quidem partem πενθημιμερῆ usurpauit poeta, longe rarius ἑφθημιμερῆ, rarissime eam quae βουκολικὴ dicitur. In centum uersuum numero fere duae caesurae occurrunt κατὰ τρίτον τροχαῖον. De caesura posita inter syllabas per synaloephen conliquescentes Lachmannus dixit in Comm. p. 413. Sic et Ennius in Annal. 143 V. *isque dies postquam Ancus Marcius regna recepit.* 388. *omnes occisi obscensique in nocte serena.* — Aliud genus est ubi caesura est ante syllabam elisam quae in pronuntiando omnino euanescit, ut III, 83. *hunc uexare pudorem, hunc uincula amicitia.* — Ceterum non desunt uersus, quibus sola caesura sit ἑφθημιμερῆς, ut I, 302. *quae tamen omnia corporea constare necessest.* 320. *sed quae corpora decedant in tempore quoque.* Cf. 895. V, 341. 31. 47. 114. 121. 535. Neque sine consilio a poeta institutum esse uidetur, ut in ἑφθημιμερεῖ cum caesura alterius pedis coniuncta utraque arsis in cadendo eundem referat sonum: I, 325. *nec porro quaecumque aeuo macieque senescunt.* 194. *nec porro secreta cibo.* 348. *in saxis ac speluncis.* 373. *et liquidas aperire uias.* II, 67. *nam certe non inter se.* 159. *ulla foris atque ipsa suis.* V, 582. *quandoquidem claram speciem.* 622. *Democriti quod sancta uiri sententia ponit.* IIII, 26. *atque animi quoniam docui.* Cf. I, 642. II, 107. 120. V, 568. 738. VI, 580. 605. 619. 1047. Idem apud Ennium reperitur: cf. Ann. 236. *pone petunt: exim referunt.* 550. *uix solidum complere*

cohum. — A uersibus puris spondeis constantibus Lucretius qui iucunditatem inaffectatam sequitur, sese continuit. Itaque etiam in singulis uersibus dactyli superant spondeos uel aequant: quamquam, quod materiae grauitas poscebat, si uel cum Ouidio eum conferas, non tam profluentes ac facile currentes quam fortiter et quasi cum grauitate et auctoritate incedentes reperias. — De spondiacis Lachmannus egit in Comm. p. 110. Ennius tetrasyllabis maximam partem utitur (Ann. 2. 125. 197. 603.), praeterea his formis: *sic compellat* 255. *de me hortatur* 373. *sublatae sunt* 541. *Tuditano conlega* 305. *auratis hauserunt* 604. — Ceterum in fine uersuum Lucretius plerumque uocem duabus uel tribus syllabis constantem collocauit. Neque tamen adeo studiose, ut posteriores, quattuor uel quinque syllabarum uoces in extremis uersibus uitauit, quae potius ut uersui neruos ac lacertos adderet, nonnumquam de industria asciuisse uidetur; exempla sunt *frugiferentes insinuetur exoreretur materiai indupedita* innumerabilia alia, quae fere omnia ultimam syllabam corripiunt. Quo in genere magnum differt a Vergilio et posterioribus, siquidem hic in Eclogis non nisi in propriis nominibus id sibi concessit (III, 37. *Alcimedontis* VIII, 1, 5. *Alphesiboei.* 62 *Alphesiboeus).* Tam ille pauca in plus quam nongentis uersibus exempla: in eodem numero uerba Latina in hoc loco plus quam XL. Lucretius exhibet. Neque desunt sex syllabarum in exitu uersuum, uoces — ut III, 83. *uincula amicitiai.* Neque Lucretius ita sedulo ut idem Vergilius a monosyllabis in fine uersuum refugit: etenim, si omittimus uoculam *est,* quae cum praecedente uerbo per synaloephen coalescit, in eodem uersuum numero Vergilius sexies, quadragies Lucretius extrema uersuum monosyllabis finiuit. Iam uero certum consilium, quod in quibusdam aliorum uersibus ad hanc rationem compositis agnoscitur, non secutus esse uidetur Lucretius. Saepisse etiam duobus monosyllabis constat extremus uersus, ut in uno libro tertio in u. 115. 267. 299. 317. 355. 424. 644. 647. 704. 718. 725. 731. 934. 936. 1068.

Cap. VIII.

Quum per insignem humanitatem Godofredi Bernhardyi mihi contigisset, ut codicem Lucretii Monacensem, olim Victorianum (Codd. latt. 816 a. nr. 147. P. Victorii) integrum excuterem, de hoc libro nondum satis pertractato

quaedam disputare institui. Extat collatio lib. II, 642 ad 1174 in Goebelii progr. Iuuau. a. 1857. Ac primum quidem hic codex nec ex uetere impresso nec ex eodem cum Leydensibus fonte fluxisse, sed propria quadam indole uti uidetur. Id uel maxime perspicitur e *lacunarum comparatione,* in quibus consentaneum est conuenire libros ex eodem fonte deriuatos. Qua in re quanta diuersitas intercedat inter Leydenses et Victorianum eo probabimus, ut quae ab Leydensibus omissa sint perlustremus collato Victoriano. Praeterea autem multa Leydenses seruarunt quae desunt in Victoriano. Extant uerba in Victoriano a Leydensibus omissa haec: *e* I, 217. *ex* 669. (*e* Lachm.), *res* 893., *e* 996. — *de* II, 104. *summo* 210. *recta* 249. *unde* 331. *in* (*sed* Lachm.) 512. *non sit in orbe* 543. (*sit orbi*) Leydd., *nulla* Lachm.) *rem* 853. e coniect. Lachm. profectum est. *et* III, 58. *id* 135. *et* 145. (Lachm. *id*). *ut* 458. *ante* 538. *per* 566. 596 in margine ascriptus est: nisi fallor, secundum Marulli lectionem: *cadere omnia corpore membra. Vocem* 526 Vict. exhibet a scriba, *in* V, 142. *si* 195. *inter se* 393. *flammae* 586. *est* 587. *in* 1431. *e* VI, 201. *est* 746. *a* 925. — His omnibus igitur in locis Leydensium lacunae a Victoriano alienae sunt. Sed suas etiam eum continere lectiones nec raro uerissimas paucis exemplis demonstremus, cum plura adferre spatii angustiae nos prohibeant. Ita VI, 103 V. exhibet *lapides ac ligna* quod allitteratione commendatur. *tigna* Leydd. tradunt. — u. 105., ubi *aui* Leydd. tradunt, habet *aut* Vict. Quod quamuis dissentiente Lachmanno probandum uidetur, qui artioribus finibus quam par fuit, inclusit Lucretii orationem. — 124 *concollecta* Leydd., *commota* V., quod illi praeferendum puto, praesertim cum ex *concollecta* conicere liceat, in archetypo fuisse *commota,* supra scripto *collecta*, nam corrector V. *collecta* et ipse effinxit. — 129 ubi *missa* Leydd., Vict. seruauit ueram lectionem *scissa,* quae confirmatur aliis locis, ut VI, 138. 180. 297. — 178 Leydensium lectio est: *percalefacta uides adescere*, ex qua *ardescere* coniecit Lachmannus. Genuina scriptura debetur Victoriano tradenti: *adolescere*, unde corrector fecit *ardescere.* Cf. Verg. Georg. IIII, 379. *Panchaeis adolescunt ignibus arae.* — Item in 220. rectissime Monacensis exhibet: *declarant ictus et inusta* (Leydd. *ictu et inusta*), nec opus est coniectura Lachmanni sane haud eleganti: *ictu loca inusta.* — Porro 317. unice uerum *intendunt mobilitatem* Monacensis ille retinuit. Nam *incendere mobilitatem* et insolitum et a Lucretii sermone

alienum est. — In 374. Victoranus archetypi scripturam praestantius quam Leydenses seruasse uidetur, cum illic a prima manu exhibeat: *Propterea sunt haec anni mouimenta notanda.* Corrector supra scripsit *bella anni nominitanda.* Vix credo primae manus scripturam coniecturae deberi: quod multis aliis locis potest confirmari. *Mouimentum* sane in florentis linguae temporibus non occurrit, neque tamen spernendum est, quin etiam a Theod. Bergkio per coniecturam Festo restitutum est. Certe et haec uerba, qualia codex tradit, aptum sensum efficiunt, et prorsus Lucretiana est uerbi *notare* usus cf. I, 701. *qui uera et falsa notemus?* 914. *cum ligna atque ignes distincta uoce notemus.* V, 1058. *uaria res uoce notaret.* V, 1043. *cuncta notare Vocibus.* VI, 121. *immortalia mortali sermone notantes.* — 393. *turpi sibi* V. — 421. *plurima plusque* scriba, *que plus,* ut Leydd., corrector. Hic igitur, ut saepius, duplicem lectionem codex seruauit. Ipsa uerba nemo non uidet nondum sanata esse. — 447. recte V. *procellit.* Nam *procellae,* ut dedit Lachm., et a *turbinis* nimis remotum est, et superuacaneum. Desideramus more Lucretii synonymum u. *prouomit.* De *procello* u. Gloss. Philox: *procello* περιτρέπω. Plaut. Mil. III, 1, 167. *procellunt sese in mensam.* — 474. *e salso consurgere mhomine ponti* Leydd., *murmura ponti* V. Ex hac scriptura uerum eruit Th. Bergkius, qui coniecit *marmore ponti,* cf. 766. *ut mare, cum magni commorunt aequora uenti Vertitur in canos candenti marmore fluctus.* — 512. *urget et a supero* V. Hinc certum uidetur, scribendum esse *urget et e supero;* Leydd. tantum *urgete* seruauerunt. *de* Lachm. — 585. *aegi* V. *argis* corr. supra scripsit. — In 747. notanda est scripturae a Leydensibus diuersitas: *locus est cum [as apud etruscos et montis].* Haec uerba nondum sanata sunt. — 965. *in ignis posta uapore.* V. — 971 V.: *ambrosias quasi uero et nectar et intus.* Nescio an poeta scripserit *ambrosiae quasi uiro et nectaris intus,* quod ex hac lectione Bergkius coniecit. — In proximo uersu, ubi *marius frondeac exscet* Leydd., V. exhibet: *quod maius frondeat extet,* ubi uerum uidetur perspexisse corrector scribens: *quod amarum frondeat aeque.* Cf. Plaut. Amph. I, 137. *Nullus est hoc menticulosus aeque. Qui me in terra aeque fortunatus erit.* Curc. I, 2, 51. — 976. *At ceni nobis contra teterrima cum sit Spurcities, eadem subus hec et inmunda uidetur.* Sic V. *haec ciuunda* Leydenses. *haec iucunda* dedit

Lachmannus. Verum praebent Victoriani uestigia: quod est procul dubio: ***subus haut immunda uidetur.*** — VI, 1031. ueritatis porro gerit notam quod in VI, 1031. Vict. exhibet: ***pronas ad partes subtiliter insinuatus***. Quid enim ***paruas ad partes*** sibi uelit, non uideo: scio eas partes ferri protrudere aërem quae sibi oppositae sint et pronae. — 1053. ***offensare igitur pulsareque fluctu Ferrea texta suo*** Leydd. tradunt. At uerbis ***offensare et pulsare*** longe aptius est, quod est in Vict., ***flictu;*** quod nomen prorsus conuenit etiam priscae latinitati: sic est ap. Pacuu. ***flictus nauium***, quod seruat Seruius ad Verg. Aen. VIIII, 667. ***Tum scuta cauaeque Dant sonitum flictu galeae***. cf. Sil. III, 322. — Paullo post 1201. est in V. ***clades letumque manebat***. — Versui 1245. suuml ocum uetus huius codicis corrector dedit post 1241.: ***poenibat .. turpi morte .. incuria, mactans Lanigeras tamquam pecudes et bucera saecla***. —

Sed claudamus oportet hoc emendationum spicilegium. Iam transeamus ad aliud genus, quod est de uersibus interpositis, quos maximam partem ex Italorum coniectura ortos esse Lachmannus iudicauit. Attamen in hoc codice non nulli huiusmodi uersus extant et prioribus et ipsi Lachmanno, quantum licet ex eius notis suspicari, ignoti. Contra haud pauci uersus, id est, triginta unus quae extant in contextu libb. Leydensium, in hoc codice a posteriore manu adscripti sunt. Unde hoc unum colligere licebit, eos uersus, qui et in margine huius libri additi sunt, et apud Italos reperiuntur, hac una de causa spurios non esse habendos. Nos ineditos adhuc uersus a secunda manu additos enotemus. In I, 841. supra scriptum: ***Sic ignem inter se paruis coeuntibus nasci*** et in 841. haec lectio est: ***Ignibus exiguis***. — Post I, 1091.: ***Quippe etenim uesci e terra mortalia saecla***. Inter II, 425 et 426.: ***At quae leuis et est iucundo praedita sensu Hec aliquo sine seminio grauiore creata est***. — Post 1138.: ***Quod satis est et quantum opus est natura nouare***. — Ad IIII, 398. infra: ***Atparent et longe diuulsi licet ingens,*** quae uerba fortasse uersus fragmenta continent qui olim tenuerit hunc locum. — Post VI, 607. in ipso contextu est is uersus, quem Marullo adscribit Lachmannus: ***Nunc ratio reddenda, augmen cur nesciat aequor***, sed in rasura. — II, 1169. in Victor. deest. — I, 14. 15. in Vict. eo sese ordine excipiunt a prima manu, ut postea editores transposuerunt. Haec omnia, ut permulta alia, non memorauit G. Christius in Quaestt. Lucrett. Monac. 1855.

VITA.

Natus sum anno huius saeculi quadragesimo, die VIII°. Januarii Wabernae quod non multum abest a Berna Heluetiorum, patre Carolo Guilelmo Bouterwek, matre Iulia de gente Michaelis. Hinc post quadriennium pater director electus est gymnasii Elberfeldensis. Ea in urbe inde ab anno MDCCCXLVIII. ad MDCCCLVII. usitatum perfeci gymnasii cursum. Quo feliciter peracto in academiam Rhenanam Fridericianam me contuli, ubi per tria semestria fructus sum scholis et institutione doctissimorum uirorum Welckeri, Ritschelii, O. Jahnii, Leop. Schmidtii, Brandisii. Et cum primum per duo semestria interfuissem disputationibus philologicis a Leopoldo Schmidtio institutis, tertio ineunte contigit ut in seminarium regium sodalis ordinarius reciperer. Inde Halas Saxonum adii. Qua in academia Th. Bergkii, God. Bernhardyi, Crameri, E. Dümmleri, H. Leonis scholis usus seminarii regii sodalis fui ordinarius usque ad anni MDCCCLX. auctumnum. His uiris omnibus me, ut par est, deuinctum profiteor; praeter ceteros uero gratissima memoria prosequar Bergkium et Bernhardyum: quorum hic et consilio et consuetudine et humanitate de me est omnium optime meritus, ille studiorum recte instituendorum auctor fuit et suasor praestantissimus.

THESES.

I.

In Euripidis Baccharum u. 1156 sqq. librorum scriptura hunc in modum emendanda est:

ὃς τὰν θηλυγενῆ στολάν
νάρθηκά τε κόσμον Ἅιδα (*codd.* πιστὸν Ἄϊδαν)
ἔλαβεν εὔθυρσον.

II.

Lucretius in IIII, 1022. scripsit exterrentur, itemque Horatio in epistularum I, 6, 11. uindicandum est Improuisa simul species exterret utrumque.

III.

Liudulfus Ottonis magni filius non id agens patri sese opposuit, ne bellis ab eo in Italia gestis populi Teutonici uires imminuerentur, sed non nisi sui ipsius commodum secutus.

IIII.

Valerius Maximus in praefatione operis sic scripsit: Reliquos enim deos accepimus, Caesares uidemus. Nam sensu caret scriptura uulgaris: Caesares dedimus.

V.

Versus ictus apud Latinos poetas ualuit ad correptas syllabas producendas.

VI.

Ars gymnastica necessaria est et ad pueros recte educandos et per uirilem aetatem ad ualetudinem corporis bene tuendam eiusque uires excolendas.